

mandaron ami el dicho escriuanno que este dicho aviso faga pregonar por las plazas & mercados acostumbrados por la dicha çibdad & este aviso de firmado de mi nonbre atodos los lugares de la tierra dela dicha çibdad & que mandauan & mandaron atodos los lugares dela tierra dela dicha çibdad que lo fagan pregonar en los dichos lugares & en cada vno dellos porque ninguno ni algunos no puedan dello pretender ynorancia testigos que fueron presentes alo que dicho es Juan de Oña & Juan de murguia criados de mi el dicho escribano & pedro de vara portero del dicho concejo.

Después de esto en la dicha çibdad de segouia veinte & seis dias del dicho mes de setiembre del anno del sennor de mill & quatosientos & ochenta y vii anno estando a par del alamo que es en la plaça pùblica de dicha cibdad & estando la dicha plaça asas poblada de gente yo el dicho escriuano dixe & mandé de parte de la dicha çibdad a gil pregonero dela dicha çibdad que & pregonase el dicho aviso que de suso va encorporado el qual yo el dicho escriuanno lo ley de verbo ad verbum & el pregonero a altas voses testigos que fueron presentes a lo que dicho es francisco de canisares & pedro hemillo & diego aluares mercaderes vesinos de la dicha çibdad de segouia.

[Con el mismo formulario se pregonó en el Azoquejo y en la iglesia de Santa Olalla.]

ANTONIO MARTÍN LÁZARO.

## II

### UN FORMULARIO LATINO DE LA CANCILLERIA REAL ARAGONESA (SIGLO XIV)<sup>1</sup>

(*Continuación.*)

CLXXII.—*Circa idem. [Collatio et presentatio beneficii capellanie.]*

Petrus Dei gratia Rex Aragonum etc., venerabili... Valencie episcopo seu ejus vicario, sede ecclesie Valentine vacante, salutem etc. Cum nos cum carta nostra, sub presentis data confecta, beneficium capelle vocate Imperatricis constitutum in ecclesia sancti Iohannis Iherosolimitani civitatis Valencie, cuius jus patronatus ad nos de jure noscitur pertinere, vacans per mortem illius qui ipsum beneficium obtinebat, Martinus Petri Castellan duximus conferendum, idcirco dictum clericum tanquam benemeritum et satis sufficientem et idoneum ad dictum beneficium obtinendum vobis auctoritate presentium ducimus presentan-

---

<sup>1</sup> La primera y segunda parte fueron publicadas en los tomos VI y VII del ANUARIO, correspondientes a 1929 (págs. 329-407) y a 1930 (págs. 442-500).

dum. Quare vos requirimus et attente rogamus quatenus dictum... in dicto beneficio instituere cum omnibus suis juribus debeatis. Datum Cesarauguste etc.

CLXXIII.—*Concessio deferendi arma.*

Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Valencie etc., dilectis et fidelibus universis et singulis officialibus nostris vel eorum locatenentibus ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Cum ad quorumdam familiarium nostrorum humilem supplicationem .t., vicino..., licentiam deferendi ensem et alia arma prohibita ad defensionem sui de die noctuque per .t. terram cum<sup>2</sup> presenti concesserimus gratiose, idcirco vobis et vestrum cuilibet dicimus et mandamus quatenus, inhibitione quacunque minime obstante, per eundem .t. ensem et alia arma prohibita per .t. terram, ut predictitur, defferri libere permittatis nec eidem obstaculum aliquod apponatis seu apponi per quempiam permittatis. Datum Cesarauguste etc.

CLXXIV.—[*Dispensatio super præmatica sanctione.*] <sup>3</sup>

Petrus etc. Dilecto nostro vicario Barchinone et Valencie vel ejusdem vicarie regenti officium vel ejus locum tenenti, salutem etc. Meminimus illustrissimum dominum Alfonsum Regem Aragonum genitorem nostrum bone memorie, habito provido consilio, quandam ordinationem seu præmaticam sanctionem edidisse et super ea quandam declarationem seu mandatum fecisse ut clericus non conjugatus, licet tonsuram non portet sed laycaliter incedat, non eligatur seu admittatur ulla tenus ad laycale officium quod publicum auctoritate et utilitate existat. Nunc autem per .t. civem... nobis exstitit supplicatum ut ipsum ad officium campsorie et tenendum capibrevia jurata, prout alii campsores tenent, admitti facere dignaremur, dicta ordinatione seu metu pene in eadem apposita non obstante. Nos vero, dicta supplicatione admissa, volentes ipsum... gratia prosequi et favore vobis dicimus et mandamus quatenus dictum... ad dictum campsorie officium et scribendum et tenendum capibrevia jurata, dum tamen absque tonsura et habitu laycali continue incedat et idonee assecuret quod, si contingat ipsum conveniri vel impietatione dicti officii, clericali privilegio non utatur, et non obstante dic-

<sup>2</sup> Entre líneas.

<sup>3</sup> Marginalmente se lee esta observación: "Jam sunt alie similes supra." En efecto, hay algunas otras, anteriormente, que versan sobre el mismo asunto, aunque la forma sea distinta. La número CLXV (tomo VII del ANUARIO, página 495) es casi idéntica.

La fórmula presente carece de epígrafe en el manuscrito y la he suplido en vista del texto. En esta última parte del formulario hay otras muchas también sin título o que lo llevan incompleto. En todas ellas he subsanado la deficiencia, yendo encerradas entre corchetes las palabras suplidias.

ta ordinatione seu pena in eadem apposita, prout assuetum est fieri, protinus admittatis, cum nos hoc sibi ut premittitur gratiose duxerimus concedendum. Datum etc.

**CLXXV.—*Alia concessio deferendi arma.***

Nos Petrus etc. Tenore presentis, ad quorundam nostrorum domesticorum supplicationem, concedimus vobis Michaeli Araneo <sup>4</sup> civi Majorensi quod, non obstante inhibitione seu ordinatione quacumque vos cum vestro altero quem semel vel pluries elegeritis, dum tamen duorum numerum simul minime excedatis, invicem vel divisim per totam terram et dominationem nostram possitis deferre enses et alia arma prohibita die noctuque ad defensionem vestri, decernentes quod hujusmodi concessonis gratia cuiusvis revocationis pretextu censeatur minime revocata, nisi in dicta revocatione presentis de verbo ad verbum tenor totaliter sit insertus. Mandantes universis et singulis officialibus nostris presentibus et futuris quod concessionem nostram hujusmodi observent et faciant observari et contra ipsam non veniant nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione. In cuius rei testimonium etc. Datum etc.

**CLXXVI.—*Super litteris rogatoriis mitendis domino Pappe et cardinalibus. Super beneficio obtinendo.***

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Johanni divina providentia sacrosancte Romane et universalis Ecclesie Summo Pontifici, Alfonsus etc. ejus humilis filius et devotus pedum oscula beatorum. Beatissime pater et domine, digne credimus agere, cum apud sanctitatem vestram pro benemeritis interponimus preces nostras. Igitur sanctitati vestre supplicamus attente quatenus petitionem inferius scriptam, quam pro benemerito .t. clero nostro in presbiteratus ordinem constituto et nullum beneficium ecclesiasticum obtinenti sanctitati eidem porrigitur, benigno vestro favore apostolico dignemini effectualiter exaudire; hoc enim ad gratiam reputabimus specialem. Almam personam vestram conservet Altissimus suo sancto servicio per tempora longiora. Datum etc.

**CLXXVII.—*Super eodem cuidam cardinali.***

Reverendo in Christo patri domino Petro divina providentia tituli sancte Praxedis presbitero cardinali, speciali amico nostro, Alfonsus etc., salutem et debitam reverentiam cum honore. Cum domino Summo Pontifici nos pro dilecto .t. ecclesiastico nostro pro beneficio ecclesiastico in diocesi Dertusense eidem conferendo per alias nostras litteras supplicemus, paternitatem vestram rogamus attente quatenus dictas litteras prefato

---

<sup>4</sup> O Aranno.

domino Pappe ex parte nostra presentare velitis et pro exauditione supplicationis hujusmodi instare efficaciter penes ipsum; hoc enim regatimur vobis multum. Datum etc.

CLXXVIII.—*Domino Pappe. Super observanda quadam provisione regia.*

Pater sanctissime, cum ad nostram anno proxime preterito pervenisset notitiam quod monasterium Belli podii situm infra limites comitatus Urgelli ex quibusdam causis ad talem statum deductum fuerat sicque mole debitorum noscebatur oppressum quod jam irreparabilis ejus interitus parabatur, nos, ad relevationem et reparationem ejusdem et ne divina servitia defectu temporalium contingere in illo defficere vel cessare, quandam provisionem fecimus ad supplicationem tamen abbatis et conventus ut redditus et jura dicti monasterii per duas personas idoneas ad hoc constitutas debeat administrari et colligi et deducta certa provisione dicti monasterii et dictorum abbatis et conventus in solutione dictorum debitorum poni totaliter et converti. Nunc autem ad nostrum pervenit auditum quod frater .t., ordinis Premonstratensis, pretextu gratie interveniente nostre supplicationis instantia a vestra beatitudine impetrare de prioratu, preceptoria, officio vel administratione ad collationem dictorum abbatis vel conventus spectanti communiter vel divisim .t. locum vel prioratum .t. loci sibi petiit assignari, necessitate et debili statu dicti monasterii non attentis, nec attendens etiam quod per talem modum de predictis loco vel prioratu nec de aliis provideri fratribus illius monasterii minime consuevit, set potius communiter provisioni dictorum abbatis et conventus nec non hospitalitati et aliis necessitatibus ipsius monasterii et utilitatibus applicari; et quia secundum formam dicte gratie non posset in predictis ejus effectum assequi vel habere, ut appareat liquide, quia executor in predictis procedere minime potuit juxta formam, nimirum prefatus frater .t. pro supplenda et amplianda dicta gratia sanctitati vestre, sicut audivimus, supplicare. Cum igitur, piissime pater, non fuerit nec sit intentionis nostre in dampnum vel lesionem dicti monasterii aut impedimentum pretacte provisionis necessario et utiliter per nos facte nostros apponere intercessus, idcirco clementie vestre humiliter supplicamus quatenus dicti monasterii statui compatientes benigne, si forsitan memoratus ffrater .t. pro premissis obtinendis institerit, vestra benignitas sibi talem gratiam que ipsum ad obtainendum dicti monasterii fructus vel jura admittere<sup>5</sup> non concedat, ad hoc ut dictum monasterium ad Dei servitium citius reparetur, set aliter eum favorabiliter prosequatur. Conditor omnium beatissimam personam vestram ad sua sancta conservare dignetur servitia annis plenis. Datum etc.

---

5 Por admitteret.

CLXXIX.—*Super codem procuratori regio in curia Romana.*

Noveritis nos dicto domino Pappe nunc scribere per nostras litteras post debite reverentie titulum in hunc modum: Pater sanctissime, etc. Cum autem ex premissa gratia, si dictus ffratter .t. eam assequeretur, in magnum cederet dispendium monasterii antedicti, quod ut premittitur nimium<sup>6</sup> est oppressum, idcirco vobis dicimus et mandamus quatenus jam dictum dominum Pappam de predictis informando supplicetis et pro parte nostra ut sepedicto fratri vel alii nolit gratiam facere per quam dictum monasterium in suis assuetis juribus vel redditibus sibi ex causa premissa valde necessariis diminutionem aliquam incurreret sive dampnum, status enim dicti monasterii absque gravi dispendio ejus non posset talia tolerare. Et in hoc diligentiam prebeat. Datum etc.

CLXXX.—*Ex parte domini Rcgis cuidam cardinali. Super obtinendo beneficio.*

Ex concepta de paternitate vestra fiducia pro illis ad quos ex suorum exigentia meritorum afficimur libenter apud vos intercedimus, credentes vos more solito liberaliter annuere votis nostris. Cum itaque dilectus clericus .t. sic moribus et scientia et aliis virtutum donis pollere noscatur quod in domo domini congruis attolli beneficiis mereatur, idcirco appetentes promotionem ipsius, vos ad hoc specialiter elegimus promotorem, amicitiam vestram affectuose rogantes quatenus honore nostri dictique Nicholay meritorum obtentu petitionem quam pro illo presentibus litteris mittimus interclusam placeat ex parte nostra sanctissimo domino Summo Pontifici presentare et ea<sup>7</sup> humiliter supplicare ut illam ad exauditionis gratiam favorabiliter introducat, in hiis si placet interponendo taliter partes vestras et latori presentium assistendo favore, auxilio atque consilio opportunis quod per vestre diligentie studium quod petimus assequamur; nam hoc valde gratum habebimus et inde vobis tenebimur ad merita gratiarum. Datum etc.

CLXXXI.—*Domino Pappc. Super confirmatione obtinenda cuiusdam episcopatus.*

Pie pater, inducimur pro illis de quorum vita et moribus litterarumque scientia coram nobis laudabile testimonium perhibetur supplicationes nostras vestre porrigere sanctitati. Cum igitur pridie Cathaniensis ecclesia insule Sicilie per obitum .t. ipsius ecclesie episcopi pastore vaccaret, prior, capitulum et conventus monachorum ejusdem ecclesie ad electionem futuri eorum episcopi procedere et ad venerabilem .t.

<sup>6</sup> En el manuscrito dice *nimiue*, pero el copista debió interpretar erróneamente el signo abreviativo de la *m* final confundiéndolo con una *e*.

<sup>7</sup> Por *ci*.

talis ecclesie decanum, juris civilis professorem et in canonico jure peritum, specialem amicum nostrum, eorum dirigentes intuitum, eundem .t., ut moris est spiritus sancti gratia invocata, unanimiter et concorditer nemine discrepante per formam scrutinii elegerint in eorum et ipsius ecclesie episcopum et pastorem, prout in decreto electionis ipsius per eos pro inde facto plenius continetur, et per vicarium Montis regalis, cui ex comissione reverendi in Christo patris domini .t. ejusdem Montis regalis ecclesie electi et confirmati ipsius electionis confirmatio competebat tanquam metropolitanum, fuerit de inde canonice confirmatus, nosque, propter merita probitatis dicti .t. ac grata obsequia per eum serenissimo domino Regi Jacobo bone memorie genitori nostro devote collata, ipsum quem celebris fama comendat ac veri experientia predicit honestum, vita compositum, moribus ac scientia illustratum affectu benigno et speciali gratia prosequamur, et propterea in promotione ejus, per quem cum scientie puritate speramus indubie prefatam Cathaniensem ecclesiam in spiritualibus et temporalibus virtuosa et salubria recipere incrementa, sanctitati vestre humiliter supplicamus quatenus dicto .t., cuius negotium potissime insidet cordi nostro, univoce, concorditer et canonice ut predictur electo et confirmato, ac tanquam hujusmodi promotionis benemerito et condigno honore nostro nostrorumque obtentu precaminum predictas electionem et confirmationem dignetur vestra sanctitas clementer admittere, ratificare gratiose, confirmare benigne, seu predicta de novo concedere, nam ex hoc, pie pater, quod pro speciali gratia petimus, laudes debitas vestre clementie referemus. Qui cuncta disponit, preelectam personam vestram ad sua sancta conservet servitia per tempora longiora. Datum etc.

CLXXXII.—*Super eodem cuidam cardinali.*

Ecce quod sanctissimo in Christo patri domino Summo Pontifici post assuete recommendationis preambulum scribimus in hiis verbis: Pie pater, inducimur etc. Quia igitur, attentis prefati .t. meritis laude dignis, affectemus ex corde ut predicta electio et confirmatio per dictum dominum Summum Pontificem confirmetur eidem, idcirco amicitiam vestram affectuose rogamus quatenus hujusmodi negotium in votiva et celeri executione velitis suscipere comendatum taliter quod dictus .t., in hoc vestro auxilio et favore sufultus, obtainere confirmationem hujusmodi mereatur nosque teneamur vobis proinde ad plenitudinem gratiarum. Datum etc.

CLXXXIII.—*Domino Pappe. Pro<sup>s</sup> beneficio obtainendo.*

Pie pater, dignum arbitramur ut pro personis nobilitate pollutibus litterarumque scientia et moribus aliisve probitatis meritis circumfultis,

cum casus inest, pro attollendis eorum statibus insistamus. Cum igitur dilectus noster .t. a nobilibus extrahens originem premissis satis effluenter ornatus existat et propterea pro ejus attollendo statu supplicationem nostram apud sanctitatem vestram interclusam presentibus digne providimus porrigendam, beatitudini vestre humiliter supplicamus quatenus contenta in petitione predicta ad exauditionis gratiam favorabiliiter introducat, hoc quippe nostre voluntati plene gratum occurret ac tenebimus ad gratiam specialem. Qui cuncta propria potestate disponit preelectam personam vestram conservare dignetur ad sua servitia incolumem plenis annis. Datum etc.

CLXXXIV.—*Super eodem cuiusdam<sup>9</sup> cardinali.*

Noveritis nos per aliam litteram nostram cum petitione in ea interclusa domino Summo Pontifici scribere ut dilecto nostro .t. clero de canonicatu .t. ecclesie cum plenitudine juris canonici providere dignetur; prebendam vero ad collationem, provisionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentem episcopi seu alterius cuiuscumque de capitulo ecclesie..., nec non dignitatem, personatum vel officium, si vaccant ad presens in dicta ecclesia, alioquin quam primo ipsam vel ipsum simul vel successive inibi vacare contingerit, cum omnibus juribus et pertinentiis suis dicto .t. conferendam donationi apostolice reservare dignetur. Sane, cum dictus .t. traxerit a nobilibus originem sitque litterarum scientia et moribus aliisque probitatis meritis circumfultus cordique nostro insideat, ut que pro eodem dicto domino Summo Pontifici supplicamus ad votum effectualiter perducantur, idcirco paternitatem vestram intente precamur quatenus apud dictum dominum Summum Pontificem efficaciter insistatis ut contenta in petitione predicta ad exauditionis gratiam introducat; hoc nempe occurret nostris voluntatibus plene gratum et regratiabimur illud vobis. Datum etc.

CLXXXV. *Super eodem procuratori regio.*

Noveritis nos domino Summo Pontifici et reverendo patri in Christo .t. cardinali in favorem dilecti nostri... scribere, cumque effectemus <sup>10</sup> quod ea de quibus dicto domino Summo Pontifici supplicamus et scribiimus dicto cardinali meritis prelibati... votivum sortirantur <sup>11</sup> effectum, idcirco vobis dicimus et mandamus quatenus, litteris quas dicto domino Summo Pontifici et domino cardinali pro predictis transmittimus penes vos receptis, illas pro nostra parte eorum cuilibet presentis et pro votiva expeditione contentorum in eis insistatis sollerter. Datum etc.

<sup>9</sup> Por *cuidam*.

<sup>10</sup> Por *affectemus*.

<sup>11</sup> Por *sortiantur*.

CLXXXVI.—*Domino Pappe. Super promotione cuiusdam ad majorem dignitatem.*

Inducunt nos merita probitatis quibus religiosus ffrater..., monachus et camerarius monasterii sancti Laurentii de Bagano ordinis sancti Benedicti... diocesis, laudabiliter est sufultus, ut pro eo apud vestram clementiam nostre supplicationis instantiam dirigamus. Cum itaque dictus ffrater..., tanquam scientia preditus, morum honestate decorus et aliis virtutum donis laudabiliter redimitus, mereatur in domo domini ad majora beneficia promoveri nosque premissorum contemplatione et quia idem ffrater... parentum generositate prepollet pro eo intercedere teneamur, ea propter beatitudini vestre humiliter supplicamus quatenus honore nostri et dicti ffratris meritorum obtentu placat exaudire petitionem quam pro eo affectuose porrigimus et presentibus jussimus subannecti; hoc etenim, pie pater, gratum habebimus et devotas gratias vestre proinde clementie refferemus. Largitor bonorum omnium preelectam personam vestram conservet in colum servitio suo sancto. Datum etc.

CLXXXVII.—*Domino Pappe. Pro beneficio.*

Sanctissime pater, subiectione devota et humili, pro .t. clerico et domestico nostro, cum <sup>12</sup> sue probitatis multiplicis meritis nostrorum interventu precaminum de aliquo beneficio ecclesiastico, prout in petitione que presentibus litteris beatitudini vestre interclusa transmititur continetur, dignemini providere. Sic, alme pater, agere dignemini in premissis ut nostra porrecta precamina fructum pareant perobatum. Valeat vestra clemens paternitas suo sancto scrvitio per tempora longiora. Datum Cesarauguste etc.

CLXXXVIII.—*Domino Summo Pontifici. Pro <sup>13</sup> obtainenda venia.*

Illam, pie pater, apud vestram clementiam intercessionem subditis nostris libenter concedimus per quam in domo domini fructus uberes proferant et salutem anime Deo proposito consequantur. Hinc est, pater sanctissime, quod, cum nobilis... olim ad partes insule Sicilie transffretasset et processu temporis citra farum cum aliis militibus contulisset et per aliqua tempora moram traxisset in illis, nunc ex hoc habens sane concientiam remordentem ac timens excommunicationum sententias per vos et predecessores vestros super hiis antea promulgatas forsitan incurrisse, nobis humiliiter supplicavit ut ad ubiorem cautelam pro absolutionis beneficio obtainendo sanctitati vestre intercessionem nostram dirigere deberemus. Quocirca beatitudini vestre devotis affectibus suppli-

<sup>12</sup> ¿ Por cui?

<sup>13</sup> La palabra *de*, tachada.

camus quatenus, ex solita sedis apostolice benignitate que gremium aperit redeuenti, placeat episcopo Valencie, quod dictum nobilem... ab omni vinculo excommunicationis quo ex dictis sententiis aut aliis pro premissis extiterit innodatus possit absolvere, plenam et liberam concedere facultatem; constet enim sanctitati vestre quod dictus nobilis jam diu a partibus illis discessit nec ad eas remeare disponit et in insula nostra Sardinie, ubi hereditatus est, domicilium suum fovet. Largitor bonorum omnium preelectam personam vestram conservet in columem per tempora longiora. Datum etc.

**CLXXXIX.—*Domino Pappe. Super obtinenda gratia de visitationibus.***

Sanctitatis vestre beatitudini super hiis nostra rogamina fiducialiter ducimus offerenda que ad bonum statum ecclesiarum regni nostri respicere dinoscuntur. Hinc igitur, pater sanctissime, cum bene pater leximus noster Arnaldus, episcopus..., ecclesiam suam... a principio sui regiminis multis debitis gravatam repererit occasione guerrarum quas pro defensione dicte ecclesie cum diversis personis habuit et habet sustinere ac aliorum arduorum negotiorum sibi jugiter incumbentium gravibus onerum et expensarum dispendiis sit oppressus, a quibus nequid<sup>14</sup> absque vestre sanctitatis auxilio sublevari, beatitudini vestre ex cordis affectu devotius supplicamus quatenus, eidem episcopo et ecclesie sue paterno compatientes affectu, gratiam super visitationis officio per alium seu alios exercendo et procurationibus in pecunia moderare<sup>15</sup> recipiens in formam petitionis incluse presentibus sibi de solita benignitate dignemini gratiosius indulgere. Hanc equidem vestre pietatis gratiam nobis pro magno dono merito ascribemus. Datum etc.

**CXC.—*Circa idem cuidam cardinali.***

Paternitati vestre notum facimus per presentes quod nos, considerantes qualiter venerabilis in Christo pater..., miseratione divina... ecclesie episcopus, in principio sui regiminis ecclesiam suam... reperierit multis debitis agravatam et etiam occasione guerrarum quas pro defensione dicte ecclesie cum diversis personis habuit et habet sustinere ac aliorum arduorum negotiorum sibi jugiter incumbentium gravibus onerum et expensarum dispendiis sit oppressus a quibus nequid<sup>16</sup> absque auxilio domini Summi Pontificis sublevari, supplicamus dicto domino Summo Pontifici, compatientes eidem episcopo et ecclesie sue jam dicte, facere gratiam quod per alium seu alios idoneos per dictum episcopum deputandos possit visitare et procurationes ei debitas ratione visitationis hujusmodi in numerata pecunia recipere moderatas. Quare, cum dicto epis-

---

<sup>14</sup> Por *nequit*.

<sup>15</sup> Por *moderate*.

<sup>16</sup> *Nequit*.

o po meritis suis attentis plurimum teneamur, sicque affectemus ut suplicatio quam dicto domino Summo Pontifici mitimus hac de causa per ipsum dominum Summum Pontificem benigne exaudiatur ac etiam admittatur, idcirco paternitatem vestram, quam semper novimus nostra beneplacita confovere, rogamus attente quatenus honore nostri velitis et placeat pro parte nostra eidem domino Summo Pontifici supplicare ut petitionem jam dictam gratiosius exaudiat et admitat, quoniam in hoc paternitas vestra plurimum nobis complacabit et vobis regratiabimur illud valde. Datum etc.

**CXCI.—*Domino Pappe. De beneficio.***

Etsi interdum pro benemeritis penes sanctitatem vestram interponimus preces nostras, hoc tanto confidentius facimus quanto sanctitatem eandem speramus ad illorum gratiosam exauditionem benignius ac favorabilius inclinari. Hinc est quod, de vestra beatitudinis clementia confidentes, pro venerabili ac discreto viro..., archidiacono... ecclesie, clero et familiari... Regine illustris consortis nostre lexitime, pro quo etiam eadem Regina per suas litteras sanctitati vestre humiliter intercedit ex eo quod tam ipse quam progenitores sui eidem Regine grata fidelitatis obsequia hactenus impenderunt et adhuc impendere non desistunt, cuique morum honestas, vite decor, litterarum scientia et alia virtutum merita suffragantur, et quia redditus sui archidiaconatus predicti et aliorum beneficiorum que nunc obtinet adeo sunt tenues et exiles quod ex eis non potest secundum suam decentiam congrue nec mediocriter sustentari, eapropter sanctitati vestre ex corde supplicamus<sup>17</sup> humiliter et devote quatenus eidem archidiacono intuitu nostro et contemplatione dicte Regine consortis nostre et laudabilium meritorum ipsius archidiaconi de alia dignitate sive cura, in... ecclesia in qua idem archidiaconus canonicus existit, juxta supplicationem preffate Regine suis litteris interclusam dignetur vestra clementia providere, ita quod ipse et sui reddant se nobis et ipsi Regine in prestans obsequiis propterea de cetero promptiores. Et si gratiam hujusmodi vestra clementia huic archidiacono nostro intuitu et ipsius Regine duxerit faciendam, reputabimus proprie nobis factam. Sic, pie pater, agere dignemini in hac parte ut idem archidiaconus nostra precamina et Regine predicte que ex precordiali affectu attentius porriguntur effectualiter sentiat fructuosa. Almam personam vestram conservet Altissimus diutius servitio suo sancto. Datum etc.

**CXCII.—*Domino Pappe. De dispensatione obtainenda.***

Ob favorem devotionis et fidei quem nobilis et dilectus noster... debito sanguinis nobis junctus ad nos et regiam domum nostram gerit, astringimur ut ad ea que honorem et ejus augmentum respiciant plenis

---

<sup>17</sup> *Supplicamus* en el manuscrito.

affectibus intendamus. Cum itaque idem... et nobilis..., relictæ quoniam... comitis... loci vidua, affectent matrimonialiter copulari, ac pro eo quod eadem... quondam... priori uxori ejusdem... defuncte in tercia consanguinetatis gradu dum viveret attinebat, idemque... in tercia consanguinetatis linea sit conjunctus sicut matrimonium hujusmodi contrahere nequeant, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, nosque, obstrenuitatem dicti nobilis et magnam confidenciam quam de ipso gerimus, affectemus plurimum ut inter eum et dictam... hujusmodi matrimonium contrahatur, cum ex hoc idem nobilis ad nostra obsequia ferventius astringatur, beatitudini vestre intimis et devotis affectibus supplicamus quatenus honore nostri, qui hoc pro speciali munere petimus cum eisdem... et..., quod, impedimentis que ex hujusmodi consanguinitate et affinitate proveniunt nequaquam obstantibus, hujusmodi matrimonium libere contrahere valeant et in eo postquam contractum fuerit licite remanere dignemini<sup>18</sup> auctoritate apostolica de speciali gratia dispensare; in hoc autem, pie pater, nobis speciale gratiam facietis dictumque nobilem ad vestra et Ecclesie Romane servitia promptius inducetis. Preelectam personam vestram conservet Altissimus ad sua sancta servicia per tempora longiora. Datum etc.

*CXCIII.—Domino Pappe. De beneficio.*

Beatissime pater: Tanto libentius sanctitati vestre supplicationis nostræ instantiam dirigimus quanto ab experto novimus personas pro quibus supplicamus, nedum nobilitatis genere, verum etiam litterarum scientia, morum elegantia aliarumque virtutum donis laudabilibus circumfultas. Hinc est, pater sanctissime, quod pro nobili et dilecto nostro..., qui nobis sanguinis vinculo astrictus et premissis virtutibus insignitus, petitionem quamdam beatitudini vestre presentibus mitimus interclusam, supplicantes eidem quatenus petitionem ipsam benigne admittere camque ad exauditionis gratiam introducere sanctitas vestra dignetur nostri speciali consideratione ac supplicationis hujusmodi interventu; hoc et enim, beatissime pater, pro speciali habebimus munere et proinde apostolice sanctitati assurgemus ad grates. Universorum conditor et humani generis reparator mirificus beatissimam personam vestram merito preelectam ad sua sancta conservare dignetur servitia annis plenis. Datum etc.

*CXCIV.—Cardinali. [Super eodem: Supplicatio ut intercedat apud dominum Papam pro dicto beneficio obtinendo.]*

Paternitati vestre defferimus per presentes nos noviter scribere do-

<sup>18</sup> *Digni* en el texto, sin duda porque el copista —el autor del manuscrito u otro— no interpretó bien la abreviatura, al transcribir el original, donde probablemente la palabra estaría escrita en una de estas dos formas: *digni* (con el signo general de abreviación sobrepuerto) o *dgi.* (*igual* en los dos casos a *dignemini*).

mino Pape per litteram nostram post debite reverentie titulum formam que sequitur continentem: Beatissime pater, etc. Cum autem nos ex causis premissis plurimum appetamus ut pro quibus scribimus optatum sortiantur effectum, ea propter de amicitia vestra confidentes ad plenum paternitatem vestram affectuose rogamus quatenus, tam in presentando dicto domino Pape litteram nostram jam dictam quam penes eum pro obtentu contentorum in petitione quam dicto domino Pape in sua littera mitimus interclusam, partes vestre sollicitudinis apponere placet et velitis taliter quod, vestro mediante suffragio, quod petimus assequamur, in hoc quippe nobis valde complacebitis et regratiabimur vobis multum. Datum etc.

CXCV.—*Domino Pappe.* [*Supplicatio pro meliorando statu cuiusdam canonici.*]

Regalis provisio conditiones et merita personarum attendens pro illis et merito favorabilius intercedit quas digniores agnoscit et propicit commendari potiori cumulo meritorum. Hinc est, pater sanctissime, quod cum nos, ex morum elegantia, litterarum scientia et honestate conspicua quibus dilectus noster..., canonicus... loci, laudabiliter est suffultus, vehementer optemus ut status ejusdem in domo domini provechatur, dignum et congruum arbitrantes ut in dicta Ilerdensi ecclesia in qua dominantium domino suum famulatum impendit potioris honoris suscipiat incrementa, petitionem presentibus litteris interclusam vestre decrevimus pro eodem porrigere sanctitati, beatitudini vestre intimis affectibus supplicantes quatenus honore nostri et dicti talis meritorum obtentu clementia vestra petitionem ipsam benigne suscipiat et ad exauditionis gratiam favorabiliter introducat; in hoc autem, clementissime pater, dicti talis meritis vestra sanctitas providebit et nos propterea ad ejus obsequia obnixius<sup>19</sup> obligabit. Conditor omnium etc. Datum etc.

CXCVI.—*Domino Pappe.* [*Supplicatio in favore cuiusdam clerici.*]

Dum ad merita comendanda, quibus dilectus noster... clericus diocesis Barchinone laudabiliter est suffultus, vertimus, pie pater, regie considerationis intuitum dumque idoneam ipsius sufficientiam debita meditatione pensamus, dignum et congruum arbitramur ut pro ipsius promotione regia sollicitudo que merita subditorum gratiose prosequitur libenter intendat et apud beatitudinem vestram efficaciter intercedat. Cum itaque, pater sanctissime, dictus... qui velut scientia preditus, nonestate vite decorus et aliis donum<sup>20</sup> virtutum multiplicitate redimitus in Ecclesia Dei mereatur attolli beneficio potiori ut tanto ferventius ad servitium et laudem intendat Altissimi quanto in sancta ejus

<sup>19</sup> Por *obnixius*.

<sup>20</sup> Por *donis*.

Ecclesia se potius senserit honorari, ea propter, pater sanctissime, sanctitati vestre intimis et devotis affectibus suplicamus quatenus honore nostri qui hoc vehementer obtamus et dicti... meritorum obtentu petitionem presentibus interclusam, quam pro eo mitimus, beatitudo vestra clementer admitat et eam ad exauditionis gratiam favorabiliter introducat; in hoc autem, clementissime pater, dicti... meritis vestra sanctitas providebit et nos propterea ad ejus obsequia obnixus<sup>21</sup> obligabit. Conditor omnium etc. Datum etc.

**CXCVII.—*Procuratori regio in curia Romana, super venia obtainenda.***

Scire uos volumus quod nobilis et dilectus noster..., diu est, in servitio illustris principis Ffrederici Trinacie regis patrui nostri per tempus aliquod stetit, ob quod juxta ordinationem apostolicam est excommunicationis vinculo innodatus; postea vero prefatus nobilis a dicti Regis recedens serviis ad nostra se transtulit obsequia in insula Sardinie, in qua per octo annos et amplius continue morain traxit, nec intendit ad servitia dicti Regis Trinacie modo aliquo se transfferre, cum in insula Sardinie prelibata in qua per nos decenter et honorifice hereditatus existit proposuerit ducere vitam suam. Et licet jam dictus nobilis pro obtainenda absolutione predictorum ad apostolicam presentiam intenderet se conferre, attamen nos, prospicientes quod ejus presentia est dicte insule necessaria ac etiam fructuosa, providimus propterea vobis scribere super isto, mandantes vobis quatenus incontinenti presentiam dicti domini Pappe appetatis et ex parte nostra supplicetis eidem quod episcopo Valencie aut alii prelato regnum nostrorum, de quo sibi videbitur, dignetur comitere ut prelibato nobili absolutionis beneficium largiatur. Et in hoc, sicuti de vobis plene confidimus, diligentiam et sollicitudinem prebeat. Datum etc.

**CXCVIII.—*Littera rogatoria ad cardinalem.***

Reverendo in Christo patri domino divina providentia... episcopo, Alfonsus, ctc., salutem, etc. Cum venerabilis et religiosus vir... ad Romanam curiam pro suis negotiis ibidem tractandis et procurandis personaliter accedat ad presens et nos pro ipso... qui antecessoribus nostris et nobis servivit fideliter et devote preces nostras apud vos porrigere teneamur, ideo paternitatem vestram affectuose rogamus quatenus dictum... recipientes benigne pariter et tractantes, ipsum recomendatum habere velitis et ei, circa suorum et dicti ordinis negotiorum celerem expeditionem, sitis, si placet, nostri honoris intuitu et precaminum interventu favorabilis et benignus, sic quod preces nostras in hac parte apud vos sibi censiat profuisse; istud enim gratum habebimus et acceptum et regratiabimur vobis multum. Datum etc.

---

<sup>21</sup> Por *obnixius*.

CXCIX.—*Domino Pappe. [Supplicatio in favore promotionis cuiusdam fratris ordinis Minorum.]*

Laudabilis affluentia meritorum, quibus religiosum virum fratrem... ordinis Minorum in theologia lectorem Altissimus insignivit, nos, pie pater, sollicitat ut ad promotionem ipsius regiis affectibus intendentes apud vestram clementiam nostram pro eo supplicationis instantiam dirigamus. Cum itaque dictus frater..., dum olim incliti infantis... servitiis adhesisset gerens officium confessoris, vel ut eminenti scientia preditus, vite nitore ac honestate conspicuus, elegantia morum ac laudanda conversatione <sup>22</sup> decorus, tam in ordini supradicto quam apud magnates ejusdem regni multum sollepnis et exacte gravitatis communiter haberetur, sanctitati vestre audivimus supplicatum ut eum beatitudo vestra pontificali preficeret dignitati, quod libenter sanctitas vestra eorum affectibus accepiimus annuisse. Sane nunc, pater sanctissime, habita ipsius fratris notitia, quia ejus idonea sufficientia et dona virtutum sibi a domino tradita promerentur ut in domo domini ad condigne prelacionis apicem provehatur, ea propter vestre clementie sedulis et devotis affectibus supplicamus quatenus, cum se primo casus obtulerit, jam dictum fratrem solita apostolice munificentia prosequentes eum placeat ad pontificalis honoris preeminenciam promovere, credentes indubie, pater sanctissime, quod tanquam fidelis et prudens populo sibi comisso sciet preesse utiliter et prodesse. In hoc enim affectibus nostris et illustris domine... Regine Aragonum consortis nostre lexitime, que pro eo efficaciter intercedit, plurimum satiffiet et ecclesie cui preerit vestra clementia idonee providebit. Qui cuncta etc. Datum etc.

CC.—*Domino Pappe. [Communicatio renunciationis primogeniti.]* <sup>23</sup>

Regie meditationis examen dignum arbitratur et decens, causis pluribus que considerari possunt provide consideratis et recte, ut sanctitati vestre queque ardua nobis et in domo nostra contingentia refferamus. Hoc igitur inducti examine, presentis epistole serie apostolice defferi-

<sup>22</sup> *Covrsatione*, en el manuscrito.

<sup>23</sup> Se trata de la renuncia al trono del infante don Jaime, primogénito de Jaime II, hecho al que se refiere la fórmula LII (ANUARIO, t. VI, páginas 373-375). Según Zurita (*Anales*, libro VI, cap. XXXII), al determinar dicho infante la renuncia al trono, estaba para celebrar sus bodas con la infanta doña Leonor, hermana del rey de Castilla: el matrimonio se solemnizó, para no perder el rey de Aragón las fortalezas que había entregado al de Castilla como rehenes hasta que se verificase dicho acto. Inmediatamente de aceptada por el rey y la corte la renuncia, se le dió el hábito de la orden del Hospital aunque meses después ingresó en la de Montesa, en la que perseveró durante toda su vida. Quien dió el hábito al infante fué fray Bernardo Soler, el cual tenía facultad del maestre fray Eliono de Villanueva para que pudiese admitir en la hermandad de su casa y religión un noble, cuando quisiese, y a este hecho alude la fórmula que sigue, núm. CCI.

mus dignitati, quod cum gravi amaritudine cordis et anxietate refferimus, quod cum jam a multo citra tempore de filio nostro primogenito infante... quasdam audivissemus et cognovissemus etiam verisimiles conjecturas, per quas certe presumi poterat se non velle neque onus neque honorem regnandi post dies nostros assumere, set mundum prorsus obicere, ea quam novit Altissimus inspiratione vocatum, nos propterea jam biennium fere lapsum est et ex tunc hactenus conati fuimus quantum viis, modis ac remediis quivimus opportunis, tanquam pater qui in solio <sup>24</sup> suo regio post vite sue decursum primogenitum suum leximum preesse desiderat et sedere, a tali eum proposito revocare. Nullus autem ipsum ab hoc conatus noster retrahere potuit vel mutare, quamvis nos non absque persone nostre grandi periculo, cum adhuc eam gravis periculosa et continuata infirmitas detineret, de partibus Cathalonie ad partes confinium regni Aragonum quibus infans ipse diu fuerat nuper personaliter venissemus et cum non parvi laboris sollicitudine fecissemus, sperantes si ex hoc suus ad aliud animus laxaretur, quod matrimonium duduim contractum inter infantem ipsum et puellam spectabilem... illustris bone memorie... Regis filiam, de quo inter dictum Regem et nos sollempnibus promissionibus et obligationibus actum fuit ut certo tempore quod nunc evenerat faceremus uterque quod dictum matrimonium in facie Ecclesie solempnizaretur et publicaretur in facie Ecclesie, solempnizavit et publice celebravit; post cujus solempnizationem matrimonii per nos, prelatosve, nobiles, milites aut universitatum regni nostri procuratores et nuncios, qui apud eum multimode fideliter et legaliter institerunt, induci minime potuit vel moveri, suis specialiter quos in se inesse asseruit pretentis deffectibus, ut cum dicta infantissa cohabitare et in mundo esse eligeret et se post dies nostros concederet regnaturum, quinimmo, renunciato per eum expresse suis primogenituris et regni regimini, voluit... habitum assumere et de facto et ipsius... ordinem profiteri, que opere die date presentium jam complevit. Ex hiis igitur, pater sanctissime, licet, ut tenere potest eximie vestre discretionis judicium, fuerimus atque simus multifariis tribulationibus angustati nosque et regnum nostrum in turbatione fuerimus eminenti, in eo tamen, qui in universis adversitatibus verus cognoscitur consolator et cujus dispositioni et voluntati nequaquam licet aliquatenus contraire, consolationem remediabilem eo prestante sumpsimus, confidentius expectantes quod et iste a Deo utique sic attractus ex suis bonis operibus ad eterna gaudia proveniet quodque inclitus leximus secundo genitus noster, infans..., qui ex nunc primogeniti locum habet quique ex sua bona indole, si fas sit os patris filii laudem extollere, taliter se ad divina et vestra servitia et beneplacita ac sedis apostolice coaptabit paternis vestris jussionibus et monitionibus adherrendo quod, agente illo sine quo nihil est validum, nihil firmum, in

---

<sup>24</sup> Dice *filio* en el manuscrito, pero debe ser una errata, por *solio*.

conspectu Altissimi suique digni vicarii, ut interni affectus viscerum paternorum desiderant, dignis et continuis operationibus gratiosus adveniet ac nos et incolas regni nostri ceterosque catholicos ex suis progressibus, ejusdem domini operante misericordia, faciet esse contentos. Qui cuncta propria dispositione gubernat etc. Datum etc.

CCI.—*Circa idem. [Littera ad magistrum ordinis Hospitalis super ingressu infantis primogeniti in dictum ordinem.]*

Ad notitiam vestram non sine cordis anxietate defferimus quod, cum jam a multo citra tempore leximus primogenitus noster... honorem et onus regni post dies nostros assumere renuens et Altissimo in aliquo regulari habitu approbato cupiens famulari, nobis super eo suum propositum expressisset. Nos volentes cum ab hujusmodi proposito quantum possemus retrahere ad hoc toto conatu institimus, et licet variis viis et modis exquisitis plurimum laboraverimus super eo, ab ipso tamen proposito revocari non potuit vel moveri, set omnino voluit habitum vestri ordinis... recipere ipsumque ordinem profiteri, quod die date presentium opere jam complevit. Et quia ex quo sic opportuit fieri, si res dilationem ulterius habuisset non sine gravi periculo regni nostri negotium ipsum fuisse protractum, audito per aliquos quod religiosus frater... de vestro ordine supradicto potestatem habebat a vobis cum littera vestra recipiendi unum nobilem ad vestrum ordinem supradictum, volentes periculo ipsi occurtere, de vestra sperantes providencia et discretione ac bona affectione quam ad nos et regnum nostrum geritis et habetis quod, intellectis hiis, vestrum super eis preberetis assensum, voluimus omnino quod dictus frater..., de consilio... et..., jam dictum filium nostrum reciperet ad ordinem memoratum ipsique promisimus ipsos... et... et alios fratres dicti ordinis, qui sibi ad hoc consilium prestiterunt, omnino proinde servare indempnes et vestram litteram procurare per quam approbaretis receptionem jam dictam; nos autem jam dicto filio nostro pro se et ejus familia, ne sit dicto ordini onerosus, provisionem certam et competentem, prout et quam a nobis voluit, duximus assignandam. Igitur probitatem et discretionem vestram rogamus attente quatenus, honore nostri et considerato quod ex ingressu dicti infantis in ordinem vestrum poterunt honor et comodum ipsi ordini provenire, velitis receptionem hujusmodi sic jam factam placidam suscipere atque gratam indeque per singulas litteras vestras tradendas presentium exhibitori scribere dictis... et..., significando sibi quod id habens placidum et acceptum neque inde contra ipsos aliosve fratres predictos ullam indignationem habebitis, quinimmo benefactum reputetis quod per ipsum fratrem... de consilio predictorum... et... factum extitit in predictis. Datum etc.

CII.—*Rescriptum apostolicum.*

Iohannis, episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro..., lexitimi in Christo filii nostri... Regis... regni illustris primogenito, salutem et apostolicam benedictionem. Scripsisse, tali fili, post salutationis eloquium sub infrascripta forma meminimus hiis diebus illaque ideo iteramus, quia cordi nostro [plurimum insident] et ad te pervenerint ignoramus. Exultat, fili, cor nostrum in domino ipsumque devotis laudibus anima nostra magnificat sicut habet multorum grata relatio quam letanter audimus, spiritu cogitandi que recta sunt propitiis et agendi de sui muneric largitate percepto, per semitas graderis equitatis teque virum justitie constituis amatorem, ei qui justus est in omnibus viis suis per laudabilem cultum ejus gratum obsequium impendendo. Super hiis itaque tibi specialiter congaudentes, internis desideramus affectibus quod, semper divinis beneplacitis te coaptans adherensque virtutibus, in ipsius amore justitie, ut illorum qui faciunt et custodiunt justitiam omni tempore beatorum numero valeas aggregari, stabiliter perseveres, te ad pie-tatem que vite presentis promissionem obtinet ac future ferventer exerceas, Romanam Ecclesiam matrem tuam que te gerit sincerius in visceribus caritatis studio filialis venerationis honorans, ecclesias ipsarumque pastores, libertatem in personas ecclesiasticas tanquam Dei ministros pro sui nominis gloria tuearis, tuum revertaris, ut benedictionem consequetus a domino in tuis filiis jocunderis, plenis affectibus genitorum, cum sedula et devota visitatione letiffices et, ut in oculis suis appa-reas gratiosus, frequenter ejus conspectibus, presertim infirmitatis vel debilitatis tempore, tuam exhibere presentiam non obmitas, solitaria vero loca ne singularis ab aliis vel solitarius habearis collere pretermitens, insignia potius et alia multitudine referta fidelium sicut honori tue magnitudinis expedit studeas frequentare, baronibus nobilibus et aliis de prefati genitoris tui regnis et terris te benivolum et benignum exhibeas et eos ad consorciū tue familiaritatis et conversationis admitas, ut per conservationem <sup>25</sup> hujusmodi talem in juventutis aus-piciis te cognoscant qualem desideria eorumdem processu etatis provectionis expectat. Quocirca magnitudinem tuam paterno rogamus et hor-tamur affectu quatenus, hujusmodi nostris exhortationibus sicut benedictionis filius acquiescens, in hiis juvenilibus annis sic te secundum Deum dirigere studeas et sic virtuosis actibus assuescas quod ab illis nec evelli valeas processu temporis nec averti; hoc enim preter multifarias laudes quas tue devotionis integritas consequetur tibi, sicut verisimiliter est sperandum, annos vite tue producent, dierum longitudinem prorogabunt et post vite presentis excusum ille, cui nunquam sine remuneratione servitur, tibi coronam glorie immarcessibilis largietur. Preterea, quia tibi per matrimonium inter te et dilectam in Christo fi-

---

<sup>25</sup> Por *conversationem*.

liam nobilem mulierem natam clare memorie Regis... annuente domino contrahendum, de quo sicut nosti habitus est tractatus, honoris et status incrementa speramus magnifica proventura, etsi per te, quod absit, staret quod non fieret, odia et rancores et alia varia dispendia subsequi formidamus, presertim cum fere omnes catholici principes orbis terre ei sint consanguinitate conjucti, nec hiis temporibus, si diligenter a(d)vertis, posses alii tam honorifice matrimonialiter copulari, quesumus ut ad matrimonium hujusmodi contrahendum procedere non obmitas. Ceterum, intellecto nuper quod inter predictum... genitorem tuum et iexitimum in Christo filium nostrum..., Reges illustres, initiata fuerat hostis antiqui suasione discordia, nos, periculosis dispendiis que non solum regnis et terris ac subditis eorumdem set forte toti christianitati ex eadem poterat discordia provenire in examine recte considerationis aductis, ipsisque volentes studio paterne sollicitudinis obviare, Reges ipsos per diversas litteras nostras rogandos duximus attentius et hortandos ut, a processu quolibet per quem dicta posset foveri discordia penitus abstinentes, actionem, si qua alteri adversus alterum forsitan competit, non vi armorum dirimerent set aliquos assumerent comunes amicos qui eam amicabiliter terminarent. Quare nobilitatem tuam rogamus precibus iteratis quatenus apud eundem genitorem tuum quod super his nostris precibus et ortationibus acquiescat pro divina dicteque sedis ac nostra reverentia efficaciter elabores, et quia personam tuam brachiis paterne dilectionis amplectimur volumus quod in opportunitatibus tuis tanquam ad patrem benivolum cum plena securitate recurras, nam benvolentiam nostram et dicte sedis reperies, quantum cum Deo fieri poterit, liberalem in tuis justis desideriis adimplendis. Datum etc.

CCIII.—*Rescriptum papale. [Responsio littere domini Regis super renunciatione primogeniti.]*

Iohannes, episcopus servus servorum Dei, leximo in Christo filio... Regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Tria nobis, fili lexitime, innotuerunt littere regie novissime nobis misse: videlicet, mutationem status tui primogeniti, diligentiam sedulam quam ad impedierandam illam adhibere curasti ad <sup>26</sup> constantem pacientiam quam in mutatione tenuisti hujusmodi et servasti. Profecto, fili lexitime, primum admiratione vaccuum non videtur; quis enim non miretur adolescentem inclitum regna et honores respuere et sponsam abicere sic preclarum?, utique nos, miseri, de talibus admiramus qui de presentibus ideo sepius perperam judicamus, quia finem ad quem ipsa ordinavit ille qui omnia disponit suaviter ignoramus, set in illius oculis, cui sicut presentia futura sunt nota quique presentia juxta futurorum convenientiam or-

---

<sup>26</sup> Por ac.

dinat, hec non videntur mirabilia set congrue et convenientissime ordinata. Secundum autem fuisse laudabile arbitramur, ¿quis enim laude dignum non dixerit patrem providum cui est cura de filio procurare filium in statu constanter persistere, juxta humanum iuditum Deo grato, filio honorabili, patri placido et subditis opportuno?; utique sapiens nullus dicet. Tertium autem, vel ut magna virtute plenum, apud Deum credimus remuneratione magna condignum. Tene igitur, fili, virtutem patientie, sta in illa immutabiliter, ipsam enim opus habere perfectum apostolus attestatur, supponens indubie quod ille, qui solus est bonus, mutationem hujusmodi fieri non sivisset nisi meliora elicere providisset; redde illi vitulum labiorum qui talem tibi dedit primogenitum qui novit terrena regna despicere ut possit ad celestia facilius pervenire; instrue illum et confortare paternis salutaribus monitis ut in inceptis laudabiliter perseveret, quia profecto melius fuiset et omnibus qui eum diligunt ipsum non agressum fuisse talia quam ab agressis apostatando dampnabiliter resilire; age gratias bonorum omnium largitori qui tibi filium immo filios alios contulit, quos dante domino poteris in regnis et terris aliis dimittere successores; cura illos instruere sedule ut illum in cuius manu mors et vita consistunt timeant illaque sue juventutis primitias offerentes fortitudinem suam custodiant et residue vite sue tempora in continuatione salutis propositi et priorum prossequitione operum studeant devovere, favendo ecclesiis, ipsarum libertates et jura necnon et ministros Dei, personas videlicet ecclesiasticas confovendo; hec enim illis annos vite producent, hec illis dierum longitudinem ministrabunt, talesque ipsis consiliarios et familiares alios providentia regia studeat ordinare qui eos in semitas mandatorum domini dirigant, non perversis suggestionibus a via rectitudinis abstractant nec exemplis detestandis abducant, tuum et regni statum pacificum diligent ac tuis subditis faveant suaque lucra in alienis dispendiis non perquirant. Datum etc.

**CCIV.—*Papale rescriptum. [Domino Regi, pro evitanda discordia cum alia domo regia ratione dissolutionis matrimonii primogeniti.]***

Johannes, episcopus servus servorum Dei, lexitimo in Christo filio... Regi... regni illustri, salutem etc. Quam sit domus tue regie ac... regni, fili lexitime, unio grata Deo, mutuo utilis, utriusque fidelibus desiderabilis et universis christiane religionis professoribus opportuna, quantoque dissensio, quam Deus avertat, cominaretur pericula varia experit perceperimus et tuam ex parte providentiam credimus non lattere, ideoque vigilanti queque vitanda sunt studio per que ipsa sanciari <sup>27</sup> posset concordia et studiosa exercenda sunt vigilancia per que ipsa concordia nutririri valeat et continua recipere, dante domino, incrementa. Sane sibi <sup>28</sup>,

<sup>27</sup> Por *sanciri*.

<sup>28</sup> Creo sobre la palabra *sibi* y que debe leerse solamente: *Sane, sicut hiis*, etc.

sicut hiis diebus ad nostram perduxit audientiam relatio fidedigna, domus illa... regni contra tuam propter dissolutionem matrimonii celebrati inter primogenitum tuum... et..., natam lexitime filie nostre Regine... regni, turbata dicitur et tota illa patria jam commota, per quod expediens arbitramur et sano tibi nihilominus consilio suademos quatenus sollepnies ad Reginam prefatam et Regem curet providentia regia nuncios destinare, qui <sup>29</sup> super dissolutione hujusmodi eisdem in prelatorum et baronum illis assistentium presentia innocentiam tuam pandant, diligentiam quam ut dictum contraheretur et consumaretur matrimonium adhibere curasti aperiant et displicantiam quam ex ipsa dissolutione habuisti aperi- tius manifestent, sinceram quoque affectionem tuam quam ad domum illam afficeris prudenter studeant intimare. Consulimus insuper ut prefatam nobilem, quamdiu apud te residebit, sepius consoleris, comitivam sibi decentem teneas, nec de ipsa temptes aliquid absque Regis et Reginam... regni beneplacito credinare, et, cum ipsam ad Regem et Reginam predictos remittere te continget, juxta tuam et ipsius magnificentiam ipsam honorabiliter remiti provideat regia celsitudo; per hec enim, obscu- re(n)tur iniquam <sup>30</sup> loquentium, obviabitur malitiis querentium inter te et Regem et Reginam predictos suis susurriis disseminare discordias, accen- dere incentiva, turbatio illorum mitigabitur ac inter te et ipsos retineri probabiliter poterit caritatis affectus. Circa hec premissa et alia, que tibi dominus ministrabit, exequaris cum diligentia, si paternis utique salutaribus monitis acquiescas. Datum etc.

CCV.—*Domino Summo Pontifici. [Supplicatio pro parte Regis in favo- re cuiusdam clerici, super canonicatu, prebenda et prepositura va- cante.]*

Pie pater sanctissime, cum ad nostrum auditum quorundam assertio perduxisset... quondam esse gravi langore detentum, affectantes de ca- nonicatu, prebenda et prepositura <sup>31</sup> mensata vulgariter nuncupata, quos dictus... obtinebat in... ecclesia, et de prebenda et capellaniis de tali loco et de... aliis beneficiis, que idem... in... ecclesia et diocesi obtinebat, alicui ex nostris naturalibus provideri, sanctitati vestre humiliter supli- casse meminimus ut cum canonicatum, prebendam et preposituram ac cappellanias predictas et alia beneficia vaccare contingeret et omnia nostri honoris obtentu collationi et dispositioni sedis apostolice digna- remini reservare, conferenda illi pro quo tunc vestre beatitudini suppli- candum et nominandum etiam duceremus. Sane, beatissime pater, cum nunc ad nos relatio quorundam detulerit hujusmodi canonicatum, preben- dam et preposituram, cappellanias et alia beneficia vaccare in curia morte dicti... et esse collationi sedis apostolice reservata, nosque erga

<sup>29</sup> Enmendada.

<sup>30</sup> *Iniqua.*

<sup>31</sup> *Prepositura.*

dilectum et devotum nostrum... fratrem nobilis..., clerici... diocesis, cuius predecessores nobis nostrisque progenitoribus assidue grata et accepta servitia prestiterunt, afficiamur ex corde et intimis appetamus affectibus ut de predictis canonicatu, prebenda et prepositura ac cappellaniis, quibus de bona et idonea persona erit indubie, Deo dante, provisum, sanctitas vestra eidem... providere dignetur, ideo beatitudini vestre devotis intercessionibus supplicamus quatenus petitionem ejusdem... presentibus litteris interclusam, quam super hoc sanctitati vestre porrigimus, placeat libenter admitere et ob nostri honorem eam favorabiliter exaudire; nam, propter hoc pie pater quod pro gratia speciali petimus, laudes debitas vestre clementie referemus. Largitor bonorum omnium sanctitatem vestram suo sancto servitio conservet in columem per tempora longiora. Datum etc.

*CCVI.—Cuidam cardinali. Inserta est inferius littera ad dominum Pappam.*

Significamus paternitati vestre quod nos sanctissimo domino Summo Pontifici post debite reverentie titulum scribimus per hec verba: "Decens est, pater sanctissime, ut hii qui in civitatibus et locis insignibus nostri dominii traxerunt originem in eorum ecclesiis cathedralibus provehantur. Cum itaque, pater sanctissime, ... clericus natus fidelis nostri... civis civitatis, prout ex sue juventutis initiosis evidenter colligitur, fructus producere debeat Altissimo placidos et hominibus gratiosos et propterea vehementer optemus ut in dicta... ecclesia promoveatur feliciter status ejus, idcirco beatitudini vestre humiliter supplicamus quatenus nostri honoris et hujusmodi intercessionis obtentu petitionem quam pro dicto... presentibus litteris mitimus interclusam sanctitas vestra dignetur benigne admittere et supplicationem nostram in hoc favorabiliter exaudire, hoc quippe valde gratum nostris occurret affectibus et devotas laudes et gratias vestre proinde clementie refferemus. Qui cuncta disponit etc. Datum etc." Sane, cum de amicitia vestra in hiis et aliis geramus fiduciam pleniorem vosque ad obtentum petitionis predicte, ex affectu quem ad dictum... vos habere perceperimus, elegerimus promotorem, ideo paternitatem vestram attente rogamus quatenus honore nostri et dicti... meritorum intuitu placeat dicto domino Pappe jam dictam litteram presentare et sollicitis intercessionibus apud ipsum instare ut petitionem ipsam ad exauditionis gratiam introducat; erit hoc quippe nostris affectibus valde gratum et regratiabimur vobis multum. Datum etc.

*CCVII.—Domino Pappe [ex parte Regis ut exaudiatur favorabiliter petitionem factam ipsi Pappe per Reginam in favore cujusdam cappellani.]*

Cum illustris domina... Regina Aragonum, consors nostra lexitima, pro dilecto nostro... cappellano suo qui longeva sibi servitia contulit

beatitudini vestre dirigat scripta sua, eidem humiliter supplicans ut petitionem quam pro illo porrigit sanctitas vestra ad gratiam dignetur admittere et preces ejus super hoc favorabiliter exaudire, idcirco, cum etati dicti... que jam declinavit in senium pio compatiamur affectu, super hoc votis dicte Regine nostra desideria conformantes, beatitudini vestre humiliter supplicamus quatenus honore nostri et dicte Regine que hoc cordialiter appetit placeat petitionem ipsam favorabiliter exaudire. Qui cuncta etc. Datum etc.

CCVIII.—*Domino Pappe.* [Supplicatio ut conferat abbatii cuiusdam monasterii potestatem faciendi ecclesiam collegiatam cum certo numero canonicorum.]

Sanctissime pater, circa ea que honorem Dei et ejus beatissime Virginis genitricis inspiciunt devotissime intendentes, beatitudini vestre humiliter supplicamus quatenus venerabili..., monasterii... abbatii, pio ductus proposito, ad laudem et gloriam ejusdem Dei Virginis genitricis, potestatem et auctoritatem ac licentiam conferre dignetur sanctitudo vestra faciendi ecclesiam collegiatam in... loco situata et ibidem certum canonicorum numerum ordinandi, ut Dei servitium et beate Marie inibi augeatur, non obstante ordinatione ac unione per ipsum abbatem et per Capitulum ejusdem monasterii facta juramento etiam vallatis et auctoritate apostolica confirmatis. Omnipotens per sui misericordiam etc. Datum etc.

CCIX.—*Domino Pappe.* [Supplicatio ut concedat cuidam domino castrorum duas partes decime in populationibus christianis situatis in terminis illorum.]

Scripsisse vobis, pater sanctissime, super infrascriptis sepe meminimus illaque ideo replicamus quia cordi nostro plurimum insident et an ad vestram aliter notitiam pervenerint ignoramus. Sane, pater sanctissime, dilectus... habens duo castra, in quibus sarraceni tantum inhabitant, consistentia in... frontaria, alterum vocatum sic et alterum sic, que inter se non habent terminos condivisos licet per loca herema per magna terrarum spatia protendantur, de quibus Ecclesia nunquam percepit decimas neque percipere consuevit, eo quod a sarracenis solummodo excolantur et possessiones illorum postquam regnum... per fideles extitit acquisitum nunquam ad manus fidelium pervenerunt, zelo devotionis et fidei ferventer accensus et ardenter affectans ut gloriosum nostri domini Jhesu Christi inibi veneretur, intendit construere inter terminos ipsos unum vel plura loca christianis tantum modo populata, quamvis longe sibi esset utilius quo ad redditus et comoda propria ut ipsa loca sarracenis solummodo populareret; verum, pater piissime, cum in dicto regno nostro et... diocesi percipient milites jure suo in castris et locis

suis partem terciam decimorum quam ab Ecclesia minime recognoscunt et... ecclesia duas partes, et in pluribus locis... episcopatus consistentibus in ipso regno... percipient milites castrorum et locorum domini medietatem sintque generaliter primicie parochialibus ecclesiis asigne, idcirco beatitudini vestre sedulis et devotis affectibus supplicamus quatenus, considerantes benigne quod in hoc dictus... non sua venatur comoda, non suis emolumentis intendit nec ad id magna sibi proveniens utilitas ipsum inducit, set ut dicta frontaria ex ipsis christianis robur obtineat et cultus divinus in illis partibus celebretur, quodque circa constructionem murorum atque domorum et aliorum subsidiorum quam plurimum <sup>32</sup> que ipsis locis et eorum populatoribus opportebit impendere, habebit subire grandia onera expensarum quodque non modicum fulcimenti et tutele adicet dicto regno, si illa frontaria christianis solummodo populetur, placeat ob laudem et gloriam Domini nominis nostrique honorem ac ob evidens comodum dicti regni necnon et in compensationem sumptuum predictorum concedere dicto... et suis, perpetuo, in terminis dictorum castrorum duas partes decime que in dicto casu quo christiano-rum fieret populatio ad ecclesiam spectarent jamdictam, quas sub aliqua decenti annua pensione ecclesie sepe fate prestanda in feudum teneat ab eadem; que quidem pensio vestro aut aliquorum commissariorum vestrorum arbitrio moderetur, primitia integre parochiali ecclesie reservata. Ex hoc autem, pater sanctissime, dicta... ecclesia, que nichil prorsus inde perciperet si dictus... sarracenis ipsos terminos populareret, honorem assequetur et comodum et de illo suo casu habebit fidelem vassallum ac sedulum defensorem, nosque, qui dictum... regnum christianorum consor-tio in suis presertim confinibus fulciri cupimus et augeri, devotas laudes et gratias vestre clementie refferemus. Conditor omnium etc. Datum etc.

**CCX.—Domino Pappc. [Supplicatio ex parte Regis ut providcat cuidam clericu de archiepiscopatu vel episcopatu primo vaccante.]**

Dudum, pater sanctissime, ad decora merita nobis multum accepta quibus religiosum virum fratrem... ordinis... Altissimus insignivit regie considerationis intuitum dirigentes, ac dignum et debitum arbitrantes ut pro ejus promocione regalis provisio, que merita singulorum discutiens favorabilius illos prosequitur quos digniores agnoscit, gratanter intende-ret et suas libenter dirigeret actiones, sepe vestre clementie meminimus supplicasse ut ei quem scientia eminens, vite mundicia, morum elegantia ac circumspectio provida ad pontificem <sup>33</sup> reddunt idoneum de aliquo episcopatu tam in cismarinis quam transmarinis partibus nostri dominii et demum de... archiepiscopatu, quod valde gratum nostris affectibus occurrisset, dignaretur vestra benignitas providere. Sane, pater sanctissi-

<sup>32</sup> Quamplurimorum.

<sup>33</sup> O pontificatum, con el significado de *obispo* u *episcopado*, respectivamente.

me, quia nostra precamina super hiis reverenter effusa nondum obtatum obtainuerunt effectum, ideo, sollicitantibus nos instanter illius meritis comendandis et arduis servitiis nobis per cum in urgentibus casibus circa tale negotium salubriter et prudenter impensis quibus cordialiter ad ipsum afficimur, rursus apud vestram clementiam decrevimus intercedere pro eodem, beatitudini vestre intimis et devotis affectibus supplicantes quatenus honore nostri et dicti fratris... meritorum obtentu archiepiscopatum vel episcopatum quem in dicto regno primo vaccare contigerit placeat reservare et de illo, cum se facultas obtulerit, sibi favorabiliter providere. Credentes firmiter, pie pater, quod cum ad id ferventi ducamur affectu, si forsan ex importunitate petentium super hiis preces nostras pro alio emanaverint, nos istos precipue tanquam ex animo procedentes ex certa scientia intendimus et supplicamus ceteris omnibus anteferri et in hiis pre aliis petimus favorabiliter exaudire. Conditor omnium etc. Datum etc.

CCXI.—*Domino Pappe.* [Petitio domini Regis in favore cuiusdam consiliarii sui.]

Nuper sanctitas vestra sui gratia ad supplicationem nostram petitio nem subscriptam quam in favorem nobilis et discreti consiliarii nostri... sub certa forma in fine ipsius contenta signavit, de quo sanctitati eidem gratiarum uberes referimus actiones. Sane, sanctissime pater et domine, cum gratia hujusmodi dicto... per rationes in infrascripta petitiones <sup>34</sup> contentas esset quasi inutilis et infructuosa, capropter, medium propter promotionem ipsius..., cui juxta decentiam status sui provisum non est de patrimonio Jhesu Christi..., verum tamen pro utilitate et preservacione jurium et rerum ipsius prioratus, sanctitati vestre iteratis precibus supplicamus quatenus petitionem subsequentem que propter predicta in plurimum insidet cordi nostro benigno vestro favore apostolico dignemini effectualiter exaudire, potissime, cum jam alias sedes apostolica, ad instantiam magnatum ubi causa hujusmodi subest et supplicatur pro benemeritis singulis, gratias duxerit concedendas; hoc enim reputabimus ad gratiam specialem et beatitudini vestre devotas laudes et gratias referemus. Almam personam vestram etc. Datum etc.

CCXII.—*Domino Pappe.* [Supplicatio ut nulli persone alterius nationis provideat de abbatia cuiusdam monasterii in confinibus regni constituti et ut coartet t. abbatem ad restituenda surrepta dicto monasterio.]

Interest nostra, pater sanctissime, circa insignia monasteria regni nostri, illaque precipue que per progenitores nostros pia fuerunt inten-

---

34 Petitione.

tione fundata pariter et dotata et in quibus elegerunt specialiter sepelli-  
ri, sic debite cure sollicitudinem adhibere sique ut rectores providi pre-  
ferantur eisdem solerter intendere, quod per sedulam presidentum indus-  
trialiam noxia non incurvant set continue potius in spiritualibus et tempo-  
ralibus augeantur. Quam gravia itaque quamque perniciosa dispendia  
monasteriis nostri dominii hucusque intulerint peregrina regima, mo-  
nasteriorum... et... status hostendit et eorum exitialis destructio manifes-  
tat, que per eorum abbates, nostros non utique naturales, inutili 'dilapi-  
datione consumpta vix poterunt relevari. Hoc idem etiam, pie pater,  
habemus in oculis et notorie proficitur quod noviter factum est per...,  
olim abbatem... monasterii, nunc abbatem ut fertur... monasterii, qui,  
preter incomoda que ipsi monasterio intulit nullam in eo residenciam  
faciens nec ipsum vel ejus bona aliquatenus dirigen<sup>s</sup> set facultates  
ipsius extra illud ex hauriens, pridem in sue translationis initio, predi-  
ctum monasterium et ejus castra et loca in regni Aragonensis confini-  
bus constituta armis, virtualibus, crucibus, libris, ornamentis et aliis  
jocalibus et insigniis ad ipsum monasterium spectantibus spoliavit et  
extra nostrum dominium duci fecit. Cum igitur, pater sanctissime, hec  
in ipsius monasterii dispendium vehemens et lesionem enormem fue-  
rint attemptata et ex hiis sit dictum monasterium omnino collapsum  
et quasi ad extrema deductum, placeat vestre clementie contra inju-  
riosum de jure procedere et predicta injuste surrepta monasterio su-  
pradicte restitui facere et illum 'ad hec compulsionibus districte reme-  
dio coartare. Preterea, cum dictum monasterium antiqua nobilitate pre-  
fulgeat et in regni nostri confinibus constitutum existat sitque cas-  
tris et fortaliciis eminentibus et vassallis potentibus circumfultum, ex  
quo non imerito vehementer obtaini et debemus appetere ut talis per-  
sona preferatur eidem de qua nostra sollicitudo plene confidat et quavis  
suspicio propulsa in ea noster animus conquiescat, idcirco beatitudini  
vestre intimis affectibus supplicamus quatenus sanctitas vestra, pre-  
missis benigna meditatione discussis et ex preteritorum consideratione  
cautela habita in futuris, nulli alterius nationis, cum hoc non possemus  
equanimiter tolerare, set alicui ex nostris naturalibus tantum de abbatia  
predicta placeat providere. Datum etc.

**CCXIII.—*Responsiva de morte infantium Petri et Johannis de Cas-  
tella [ex parte Pape].***

Johannes, episcopus servus servorum Dei, lexitimo in Christo filio...  
Regi... regni illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Si juxta do-  
ctrinam apostolicam flere cum flentibus et gaudere cum gaudentibus  
habeamus, profecto epistola regia pro parte tua noviter nobis missa  
materiam nobis ministravit gaudii et meroris; ad ipsos enim Christi  
pugiles nostrum intuitum convertentes, ipsos, sicut supponimus, ad in-

terminabile gaudium indubie pervenire speramus et ideo nos opportet juxta doctrinam predictam ipsis gaudentibus congaudere; ad eorum autem proximos et conjunctos superstites, presertim ad genitricem illius benedicti infantis tui videlicet generis ac utriusque consortem, reflectentes aciem mentis nostre ipsisque dolentibus, nos convenit condolere. Status quoque negotii quem sic strenue sic potenter ambo ceperant prosequi ac regnorum Castelle et Legionis, qui ex eorum transitu non levibus periculis expositus formidatur, nobis inducunt tristiciam, sed speramus in illo, qui omnia potest, quod circa illa sua providentia salubriter providebit. Nos quoque circa ipsa jam ordinavimus cum nostris fratribus remedia que occurruunt presentialiter adhibere, adhibituri alia, si hoc viderimus expedire. Tu quoque, fili lexitime, quesumus circa directionem premissorum studiose invigila et studium sollicitum adhibere procura. Prudentiam autem attendere volumus regiam, quam pie quamque clementer incomprehensibilis divina providentia circa premissos nobiles fuerit operata; unum enim qui illaudabiliter vixerat, ut vitam mutaret in melius et fieret bonus diutius expectavit, alterum vero qui semper quantum humana ratio nosse sinit ladabiliter vixerat, ne mutaret ejus intellectum malitia, rapuit premature, saluti per hoc misericorditer providens utriusque. Datum etc.

CCXIV.—*Super canonizatione beati Lodovici.*

Johannes, episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio... Regi, salutem etc. Habes, fili lexitime, unde domino Deo tuo in vocem exultationis et confessionis erumpas, exultes in eo et fatearis humiliter tibi et domui tue de inmenso ipsis dono concessum, quod inclita domus Sicilie, cui et consanguinea propinquitate et affinitate propinqua coniungeris, virum produxit angelicum consortem glorie angelorum, cuius sperare potes in celis patrocinio, favore apud homines et apud Deum intercessionibus comuniri. Etenim magnitudini tue ad gaudium intimamus quod, adveniente nuper paschalis temporis puritate die 'jovis videlicet post festum resurrectionis dominice, venerande memorie beatissimum Lodovicum episcopum Tholosanum, germanum clare memorie... regni... conjugis tue, quem omnipotens dominus propter illius merita gloriosa concivem sanctorum domesticum et eterne beatitudinis possessorem effecit, de fratrum nostrorum et nonnullorum prelatorum tunc apud secundem apostolicam existentium consilio et consensu canonizatione sollemppni sanctorum cathalogo duximus ascribendum. Tu ergo, fili, gratias agens Altissimo qui in sublimatione confessoris ejusdem tam immensis benedictionibus te prevenit, in odore unguentorum suorum currere propera, sicutque ad exemplar confessoris ipsius bonis operibus vaccare procura quod tandem una cum eo sidereas mansiones incolere merearis. Datum etc.

CCXV.—*Domino Pappe.* [Littera ut non atendat suggestiones contra quemdam magistrum Mantesie qui punivit juste fratrem criminosum.]

Sanctitati vestre humiliter intimamus quod, cum quidam vocatus frater... ordinis militie beate Marie de Mantesia, Dei timore postposito et religionis jugo procul abieco, in dampnande inobedientie vicium perpetrationem sub potentatus officiis dicti ordinis necum ac aliorum criminum diversorum instinctu diabolico esset lapsus, magister ejusdem ordinis prudenter attendens quod ubi disciplina contempnitur ibi religio naufragatur, contra injuriosum de jure procedens ne impunitas criminum aliis delinquendi tribueret incentivum, de consilio et ad requisitionem preceptorum et fratrum jam dicti ordinis prefatum fratrem... carcerali custodie mancipavit et contra ipsum processit, prout qualitas criminum persuasit. Cum autem, pater sanctissime, nonnulli consanguinei et amici dicti fratris..., ut pro certo didiscimus, procuraverint litteras quorundam magnatum quibus satagunt infamiam predictorum magistri, preceptorum et fratrum vestre beatitudini contrarium astruere veritati, nosque, pie pater, quam plurimum religiosorum et aliorum fidei dignorum oraculis veraciter informati jam dictum magistrum, demeritis exigentibus dicti fratris, ad ejus punitionem rite et juste ac secundum sui ordinis instituta zelo justitie neverimus processisse, idcirco sanctitati vestre supplicamus humiliter et devote quatenus, si ad beatitudinis vestri notitiam aliquae littere forsan pervenerint contrarium continentis, vel aliqui ut veritati prejudicent labia sua resolverint ut adversus dictum magistrum vestra benignitas excandescat, cum ea, pater piissime, salva in omnibus vestra reverentia et honore, omni fidei robore careant, ad ea credendum vestram clementiam cuiusquam suggestio non seducat, et contra ipsum magistrum cum multis militibus et expensis ad frontariam regni nostri Valencie pro ipsius tuitione nunc necessario profecturum omnis si placet inquietationis et vexationis materia, cum in vehemens nostri et dicti regni dispensandum vergeret, conquiescat. Almam personam vestram etc. Datum etc.

CCXVI.—*Domino Pappe.* [Littera magistri ordinis militie de Mantesia super eodem.]

Sanctissimo ac clementissimo etc., ffrater Petrus de Thous, humilis magister domus militie de Mantesia, devotus et humili servus in subiectionis et reverentie spiritu terre osculum ante pedes. Sacre beatitudini vestre non sine anxia cordis amaritidine significo quod habebam in domo ipsa quendam vocatum fratrem G. Cerdani qui, licet in ordinis ipsius ingressu sui cordis nequitiam occultasset, subsequenter tamen virus quod gerebat interius exterius detegens et in archum perversum pessime se convertens, postquam dictus ordo ipsum honoribus pretulit ac quibus preceptoris et beneficiis exaltavit, per percussiones illatas subditis ordinis, quibus ut predicitur presidebat, nec comisit, in dampnande inobedientie

vicium incidit, propium in proprio cumulavit et contra me et ordinem ipsum multiffarie multisque modis scelerate deliquit; et quamvis non defuisset eidem pluries mea cum lenitate correctio, verumtamen datus in sensum reprobum, ejus animus ad malitiam temere inclinatus, correctiones meas et ordinis elata nimis obstinatione despexit, qui cum nec Deum timeret nec vellet hominibus revereri, data licentia luxui et irrefrenata malitia crimen criminibus inculcasset in ordinis sepelicti opprobrium ac scandalum plurimorum, per fratres ipsius domus cum instantia requisitus, exigente justitia et conscientia me urgente, de preceptorum omnium et fratrum dicte domus consilio, non absque amaritudine vehementi immo- que doloris incendio ne ipsius impunita perversitas alios inquinaret et ex hoc fierent, qui nequam fuerant, nequiores, ipsum fratrem sequens ordinis instituta carceri mancipavi, post cujus carceris exitum ad preces serenissimi domini Regis Aragonum sibi concessum, lapsis diebus quibus-dam, nature debitum morte naturali persolvit. Sane, pater sanctissime, cum nonnulli potentes atque magnates, eo quod super liberatione et abso-lutione dicti fratri sepius petita per eos, quam absque lesione justitie non poteram facere nec debebam, votis eorum non parui, multa contra me ut audivi veritati contraria machinentur, molientes adversum me litteris suis et nunciis vestram clementiam provocare, idcirco beatitudini vestre complosis manibus et flexis in terra genibus humiliter supplico et devoco quatenus meam habentes innocentiam excusatam figmentis illo-rum qui famam meam super hoc denigrare nituntur sacra vestra beni-gnitas fidem si placet credulam non adhibeat, nec eorum verbis aut litteris aliquatenus acquiescat, set potius ipsum ordinem in suis correctionibus et statutis, sine quibus ipsum naufragari contingeret, manuteneat et defendat. Precelsam personam vestram etc. Datum etc.

CCXVII.—*Domino Pappe.* [Supplicatio ex parte Regis ut concedat cui-dam nobili mulieri facultatem habendi altare portatile ad missas cele-brandas et alia privilegia.]

Justis precibus nobilium mulierum favorem impendere cupientes, libenter, pater sanctissime, illa eis amminicula procuramus per que illis facilior ad celestia preparetur ascensus. Cum itaque nobilis mulier Blan-cha, viri nobilis quondam... relictta, intenta pietatis et caritatis operibus in divinis laudibus jocundetur, vehementer affectans ut per continuam celebrationem missarum et alia salutaria sacramenta sic spiritu consilii et fortitudinis roboretur quod, gratia sibi assistente divina, cursum quem laudabiliter incohavit liberius atque salubrius prosequatur, idcirco sanctitati vestre sedulis et devotis affectibus supplicamus quatenus ut ipsa Blanca possit habere et secum ducere altare portatile super quo in locis omnibus etiam subpositis ecclesiastico interdicto possit missarum sollempnia et alia divina officia sibi per idoneum presbiterum quem

elegerit facere celebrari ipsaque cum suis domesticis et comensalibus ea audire, clausis tempore interdicti januis et excommunicatis exclusis, dum tamen ipsa vel domestici sui excommunicati non fuerint aut causam non dederint interdicto, honore nostri et anime dicte Blanche salute<sup>35</sup> placeat favorabiliter indulgere, eidem honore nostri ex uberiori gratia concedentes quod ipsa Blancha cum quatuor dominabus possit duodecies in anno intrare atque morari de die in quolibet monasteriorum sororum ordinis sancte Clare consistentium in... civitate, comedere quater in anno, ipsa illis precamina faciente. Almam personam vestram etc. Datum etc.

CCXVIII.—*De significata domino Pappe morte domini Regis Jacobi.*

Mestum et dolendum casum obitus serenissimi principis domini genitoris nostri, domini Jacobi Regis Aragonum memorie recolende, sanctitati vestre quam indubitantur<sup>36</sup> tenemus pro salute anime ejus salubria in secunda die Ecclesia remedia indicturam, licet tristissimo animo et quasi in extassi et extra solite mentis judicium humanum posito, ducemus describendum. Innotescat igitur apostolice dignitati quod, die lune secunda die hujus mensis novembris in crepusculo noctis, post duos varios longuosque<sup>37</sup> langores infirmitatum non unius set diversarum quibus dictus dominus Rex pater noster diutius extitit laccessitus, requisitis antea et humilitate receptis ab eo ut catholico et christianissimo principe omnibus sancte Ecclesie sacramentis, humanum nature exsolvens debitum spiritum suum Summo reddidit Creatori quem in cunctis sui exitus circumstantiis gloriosus finis mirabiliter sociavit. Et licet, benignissime pater, ex talis et tanti patris et principis obitu simus et fuerimus destituti etiam multiformiter desolati, pensatis suis diversis sufficientiis et operationibus virtuosis, reversi tamen ad cor et pensato provide qualiter Altissimus omnes nos mortales constituit et cum esset presentialis in terris carne ex virgine sumpta mortem pati voluit, genus humanum misericorditer redimendo, qualiterque ut prediximus virtuose decessit, proni supplicamus domino Deo nostro, in quo obtinendo facilius auxilium vestrum apostolicum imploramus, quatenus ab alto concedatur nobis cor docile ut relictos nobis populos atque regna possimus sub tranquillitate<sup>38</sup> pacis et libra justicie confovare; nos autem nos, subditos et regna nostra apostolicis offerimus beneplacitis ea pro viribus impleturis. Qui cuncta etc. Datum etc.

---

<sup>35</sup> Aunque la palabra *salute* lleva un signo de abreviación, como indicando el acusativo, creo que dicho signo sobra.

<sup>36</sup> *Indubitanter.*

<sup>37</sup> *Languosque*, en el manuscrito.

<sup>38</sup> *Tranquillitatis*, en el manuscrito.

CCIX.—*Cardinali super dirigendo nuncio in legatione.*

Ad apostolicam sacram presentiam inclitum infantem..., leximum fratrem nostrum, pro quibusdam nostris negotiis arduis et expressis presentialiter destinamus, et licet sciamus et teneamus e certo vos prestitum animo prompto memorato fratri nostro vestri favoris auxilium opportunum, nichilominus ex superhabundanti paternitatem vestram intento rogamus affectu quatenus prelibato fratri nostro in agendis suis auxilio, consilio et favore assistere placeat et eum dirigere et juvare, prout poposcerit et vestre videbitur providentie melius et utilius expedire. Tenere autem potest amicitie vestre discretio, nec exprimere convenit qualiter hoc nostris adveniet affectibus summe gratum. Datum etc.

CCXX.—*Notificatio promotionis sancte ad papalem dignitatem domini Benedicti Pappa facta domino Alfonso Aragonum Regi.*

Altitudo celestis consilii supra cuncta tenens in excelsis imperium, sic dat esse rebus et dispensat ineffabili providentia munera gratiarum, sic creaturarum condiciones et status ordinat ac prout vult variat et disponit quod sensus humanus, ejus secreta consilia perscrutari non valens, in horum consideratione potius hebetatur, cum sint investigabiles vie domini et sapientie sue magnitudinem humani non capiunt intellectus; facit enim fortem ex debili, balbucientibus eloquium tribuit et ponit nonnumquam humiles in sublimi, plenam et perfectam habens ad singula tanquam palmo concludens omnia potestatem. Sane, felicis recordationis Johanne Pappa XXIIº predecessore nostro nuper <sup>39</sup>, sicut domino placuit, ab hac luce subtracto et ad celestem patriam ab hujus mundi miseria sicut pie credimus evocato ejusque corpore cum exequiarum solennitate debita tumulato, venerabiles fratres nostri episcopi, presbiteri et diaconi sacrosancte Romane Ecclesie cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, sub deliberatione consilii quam tanti negotii qualitas exigebat, habito super electionis futuri Pappe celebrationis tractatu, licet consentire potuisset in alios majorum meritorum claritate conspicuos et plurimum virtutum titulis insignitos, tandem tamen ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, nos ad summi pontificatus apice <sup>40</sup> divine dignationis clementia evocarunt. Nos igitur, nostrarum insufficientiam virium et administrationis tam ardue sarcinam tantique oneris gravitatem intenta consideratione pensantes intra nostra precordia, quid inter tot diversas et varias seculi fluctuationes et pugnas agendum quidque tenendum quidve pensandum existeret animo duximus trepido revolvendum; demum

<sup>39</sup> Entre líneas, sustituyendo a la palabra *super*, tachada.

<sup>40</sup> *Apicem.*

vero spiritus, virtute resumpta in illo qui assurgit in occursum timentium et implorantium humiliter<sup>41</sup> nomen suum quique clementer in semitis suis gressus hominis perfficit, inter hujusmodi cogitationum fremitus anchoram spei nostre fiximus ad ferendum sub ejus fiducia jugum servitutis apostolice, imbecilles humeros humiliter sumitentes, ac subsequenter benedictionis et coronationis solemnia et cetera recepiimus, secundum morem ejusdem Romane Ecclesie in personis romanorum pontificum predecessorum nostrorum hactenus observatum, anxiato et humiliato spiritu domino supplicando ut ipse, qui nos jugum hujusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram sue virtutis robore fulciat sicque illud faciat sua benignitate portabile quod sub eo nos non contingat ex nostra debilitate defficere, set ita sua omnipotentia nobis et gregi dominico vigilancie nostre comisso potius proficere quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo judicio reddere rationem. Hec autem que ante benedictionis et coronationis nostre solemnia nulli nunciavimus, tibi fili lexitime, ut pote illi quem nos et Ecclesia prelibata specialiter inter alios principes orbis terre catholice fidei professores brachii sincere karitatis astringimus, primordialiter decrevimus intimanda. Serenitatem itaque regiam rogamus et obsecramus in domino Jhesu Christo quatenus apud eum qui oppus imperfectio-  
nis aborret precibus devotis insistas, ut quod incepit in nobis ad tantorum sarcinam onerum, ad sui honorem et exaltationem nominis, ad salutem animarum nobis creditarum divinitus perfficiat equanimiter et salubriter preferenda ea que ad honorem et beneplacitum ejusdem Ecclesie matris tue ac libertatem ecclesiasticam statumque pacificum regni tui regalis noverit circunspectio pertinere, sic sinceris studiis et promptis effectibus nihilominus exequendo quod ex inde tibi apud Deum retributionis eterne premium et apud homines fame preconium acquiratur, firmam spem de nobis plenamque fiduciam habiturus quod in hiis que tuum et regni tui comodum et honorem respiciunt opportune tibi tanquam dilectissimo filio, quantum cum Deo poterimus, apostolicis favoribus assistemus. Quia vero, sicut accepimus, portatores litterarum hujusmodi propriis comodis inhiantes interdum consueverunt petitores existere importuni et diversis modis aliis onerosi, Excellentiam tuam scire cupimus quod de nostra intentione procedit portatores ipsos jurare fecimus ut tali petitione et receptione penitus desistant, sed volumus quod ipsi portatores nostri perceptione premii sint contenti quibus congrue intendimus pro eorum laboribus respondere. Datum etc.

*CCXXI.—Responsiva papali rescripto predicto.*

Reverentia debita et honore quo congruit vestre sanctitatis receptis

---

<sup>41</sup> Sobre la palabra hay una mancha que impide leerla con claridad; creo es *humiliter*.

apicibus, quibus promotionem vestram ac preminentiam apostolice dignitatis nobis noviter intimasti, beatitudini vestre supliciter respondemus quod, cum jam ante receptionem litterarum vestrarum volantis fame notorium et assertio plurimorum ad nos de promotione vestra nova letifica perduxissent, nos probabiliter extimantes et de tali ac tanto pastore orthodoxam et universalem Ecclesiam radio novi luminis illustratam, gavisi quippe fuimus gaudio magno valde, et intra pectoris nostri claustra sollicite cogitantes ac firma intentione tenentes quod per neminem alium magis nobis intimum et acceptum quam per inclitum infantem Raymundum comitem etc., germanum nostrum dilectum, quem native fraternitatis conjunctio ac mansuetudinis sue laudes reddunt merito nobis curiam quemque partem nostri corporis reputamus, conceptam ex inde letitiam significare melius non possemus sanctitati promotione vestra ad nostram notitiam devolutam, ipsum a latere nostro sumptum ad pedes vestre beatitudinis pro hiis et aliis negotiis nostris providimus destinandum, quem jam diu in itinere constitutum, nisi se impedimentum obiecerit, ad sacram vestram presentiam credimus accessisse. Set postquam, pater piissime, benedictionis et coronationis vestre sollempnia ex litteris vestris stilo didiscimus certiori, ea in nobis afluxit ingentior materia gaudiorum quo ex speciali affectu quem inter alios principes orbis terre ad nos habere descriptsit sanctitas vestra nosque brachiis sincere karitatis amplecti horum primordialem intimacionem aperte cognovimus processisse, propter quod, pater sanctissime, profusis undique gaudiis et effusis Altissimo laudibus, divinam misericordiam imploramus quatenus ipse qui dedit vos tante culmen dignitatis ascendere vos regat et dirigat diesque vestros clementer adaugeat ad sui nominis laudem et gloriam vestramque salutem et totius populi christiani. Ceterum, pie pater, cum progenitores nostri tanquam strenui Christi pugiles et athlete incliti fidei orthodoxe se pro cultu divini nominis et ipsius fidei palmitibus dilatandis exposuerint mortis periculis, discrimina quilibet non vitando, nos, pie pater, qui clara eorum vestigia intendimus prosequi, semper in votis gerimus honorem et beneplacita sancte Romane matris Ecclesie promptis affectibus exequi ac libertatem ecclesiasticam prelatis et ministris omnibus in nostro dominio constitutis favorabiliter conservare, ipsos ob reverentiam Summi Regis ac vestrum honorem regia intendentibus benivolentia confovere. Denique, pater sanctissime, cum in vestris litteris firmam spem plenamque fiduciam nobis dederitis in hiis que nostrum ac regni nostri respiciant comodum et honorem, ideo vestre beatitudini humiliter supplicamus ut, spem fortilem quam de vobis jam antea super hoc mens nostra concepit quamque specialiter in litteris vestris vestra benignitas nobis noviter tribuit producentes in actu, placeat erga dictum infantem in hiis que cum sanctitate vestra nunc habet expedire pro nobis exhibere vos sibi propicum, favorabilem et benignum, ita quod gratia sanctitatis vestre suscitus ad nos revertatur in brevi feliciter expeditus nosque astringamur ferventius ad Ecclesie

Romane servitia vestraque beneplacita et mandata. Almam personam  
vestram etc. Datum etc.

**CCXXII.—*Ad dominum Pappam pro cardinalatu vel archiepiscopatu.***

Placens Deo heremitarum ordinis sancti Augustini religio, in qua divine glorie magestatis frequentia devote laudis attollitur et virtutum domino per vite studio jugiter deservitur, nostrum excitat et inducit affectum ut, dum circumspectionis industriam, maturitatem consilii aliaque grandia dona virtutum quibus personas ejusdem ordinis insignivit Altissimus diligenter attendimus, ipsas favore benivolo prosequamur; et idcirco ad memoriam revocantes scientie et honestatis preconia sue que discretionis suffragia, quibus vir providus et discretus... ordinis prelibati, in theologia magister, fide purus et devotione sincerus, quem in consiliarium elegimus specialem, se nobis et universis et singulis gratiosum reddidit amabilem et acceptum, audemus ipsum absque conscientie scrupulo apud sanctitatis clementiam commendare, cum satis eum vita comendet et merita. Quapropter, piissime pater, vestre solite clementie, que justa postulantibus se exhibere consuevit in omnibus gratiosam, sedulis et devotis supplicamus affectibus ac pro dono petimus et munere speciali quatenus, consideratis benigne omnibus supradictis quibus idem magister noscitur circumfultus, cundem, sic per nos ardentis desiderio vestre clementie commendatum, dignemini cum expedire videritis precium nostrarum interventu sacro Cardinalium Collegio aggregare, ut per ipsum terre et regna ac nostra natio honorentur cum non extet memoria quod in dicto Collegio de natione nostra fuerit cardinalis, vel si vestra beatitudo nequiverit preces nostras, quod absit, in vocem exauditionis admittere in hac parte, dignemini ipsum in archiepiscopalis vel episcopalis dignitate preficere ut beneficiorum perceptione sentiat quod domui nostre non elegit in vacuum famulari, cum divina sit vobis dispositione concessum quod erigere devotos in prosperis et benemeritos condigno prosequi honore potestis, ut preter id quod meritis debetur ipsius ex nostre intercessionis affectu incrementum sentiat per effectum, et tam ipse magister qui magno studio multisque sollicitis tediis et laboriosis vigiliis in scientia laboravit Ecclesie sancte Dei esse poterit pro tempore fructuosus, quam nos ex hiis beatitudini vestre remaneamus forsius <sup>42</sup> obligati. Ille Dei filius qui est bonorum omnium retributor almam magestatem vestram conservare dignetur per tempora longiora ad regimen Ecclesie sue sancte. Datum etc.

CCXXIII.—*Domino Pappe cum supplicatione interclusu* <sup>43</sup> [in favore cujusdam cappellani ipsius Regis].

Beatissime pater: licet frequenter pro nostris fidelibus et subditis ex naturali affectione nos opporteat vestre beatitudini supplicare, domesticos tamen nostros qui continue in nostris consistunt ac laborant servitiis de vestra solita benignitate confisi speciali affectione nitimur, ut tenemur, regiis supplicationibus promovere. Sane, clementissime pater, eidem sanctitati vestre humiliter supplicamus quatenus subscriptam supplicationem quam sibi offerimus pro dilecto cappellano nostro... qui ad hujusmodi gratiam et maiorem suis exigentibus meritis dignus efficitur, pro quo alias pro eadem gratia supplicavimus, dignetur annuere nostri honoris respectu vestra beatissima sanctitudo, quam utinam conservare dignetur Altissimus cum votiva incolumitate ad sua sancta servitia plenis annis. Datum etc.

CCXXIV.—*Super eodem. [Domino Pape ex parte Regis in favore clerici, filii cujusdam domestici sui.]*

Quamvis, pater sanctissime, naturali debito suadente ad fideles nostros et subditos afficiamur ex corde, consideratis tamen illorum conditionibus qui jugiter nostris obsequiis studio devotionis adherent, pro hiis sollicitamur instantius et inducimur efficacius statum filiorum ipsorum in quo paterna consolatio vertitur nostris intercessionibus promovere. Cum itaque, pater sanctissime, fidelis domestici nostri... impensa serenissimo domino genitori nostro ac nobis servitia mereantur ut favorem regium quem ipse <sup>44</sup> promeruit in ejus propaginem derivemus et propterea pro dilecto clero nostro filio dicti... in jure canonico Tolose studenti, contemplatione ipsius et ob laudabile testimonium quod de ipsius clerici laudabilibus meritis perhibetur, petitionem subscriptam vestre decrevimus porrigere sanctitati, eapropter beatitudini vestre humiliter supplicamus quatenus honore nostri et illius meritorum obtentu petitionem ipsam vestra sanctitas dignetur admitere et nos in illa favorabiliter exaudire. Qui cuncta etc. Datum etc.

CCXXV.—*Domino Pappe, ut habeat memoriam cujusdam facti.*

Sanctitati vestre humiliter notifico quod, quia in negotio pro quo dictus dominus Rex me nuper ad pedes sanctitatis vestre transmisit fa-

---

43 *Interclusa.*

44 *Ipsi en el manuscrito.*

cultas se obtulit propter obitum... episcopi, qui post discessum meum a vestra sacra presentia dies suos finivit, sicut placuit Altissimo Salvatori, beatitudini vestre notificans<sup>45</sup> dictum casum, supplicato humiliter et devote quatenus de benigna et gratiosa responsione quam nuper vestra sanctitas mihi fecit ad exposita pro parte dicti domini Regis dignetur habere memoriam, et juxta ipsam respcionem providere de ipso episcopatu venerabili fratri... consiliario dicti domini Regis, vel benigitati vestre apostolice placeat ipsum episcopatum retinere reservatum, donec dictus dominus Rex ad quem dirigo gressus meos pro facienda relatione de legatione per ipsum mihi comissa vestre super eo rescripsit sanctitati, cuius affectus ad hoc dirigitur, ut vestre duxit beatitudini intimandum. Conservet etc. Datum etc.

**CCXXVI.—*Littera notificationis missa per dominum Regem ad dominum Pappam quod si quidam frater promoveretur ad prioratum ei veniret placidum et acceptum.***

Beatissime pater, cum ad ordinem hospitalis sancti Johannis Iherosolimitani more progenitorum nostrorum sincero et grato afficiamur affectu in hiis que utilitates ordinis ipsius respiciunt et inducunt, precipue in aministrationibus maioribus ejusdem personas appetemus constitui atque poni utiles utique ipsi ordini nobisque acceptas ex quarum industria et aministracione provida reformari valeant et utiliter procurari. Consideratis igitur et attentis meritis probitatis quibus religiosus vir frater... apud nos laudabiliter commendatur, clementie vestre super hoc nostre voluntatis intentum harum serie declarantes, eidem volumus esse notum quod, si dicto fratri... de administratione prioratus... predicti ordinis... provideretur et preferretur ad illum, nobis placidum adveniret et ipsius speciali respectu ejus promotio nostrum animum ad bonum et utilitates dicti prioratus et ordinis supradicti efficacius applicaret. Qui cuncta disponit, beatissimam personam vestram etc. Datum etc.

**CCXXVII.—*Rescriptum papale super monitione facta domino Regi [circa inmodicam familiaritatem cum sarracenis.]***

Benedictus, episcopus servus servorum Dei, lexitimo in Christo filio Petro Regi Aragonum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Si recolende memorie progenitorum tuorum Regum Aragonum, qui se divinis coaptantes servitiis ac virtuosis et strenuis actibus insudantes odore fame resplenderunt celebris, laudabilia gesta diligenter attenderis et studiose revolveris intra precordia mentis tue, illa profecto

---

45 *Notificamus.*

fili lexitime, invitabunt et instruent te illis rebus intendere illisque studiis inherere qui tibi divinam gratiam impetrent et laudem apud homines titulis regie dignitatis acquirant. Ad hoc igitur nos qui, paterne dilectionis affectu te domumque tuam regiam prosequentes, actus tuos per vias rectas declinatis et postpositis deviis quibuslibet dirigi cupimus, te libenter inducimus et paternis exhortationibus invitamus; habet si quidem fame difusse per orbem celebritas quod dicti progenitores inter cetera laudabilia facta sua, erga Deum et Ecclesiam sanctam suam devotione sincera velut principes catholici prefulgentes et circa dilatationem fidei orthodoxe ferventes, adversus hostes ejusdem fidei, sarracenos videlicet illius perfidi Machometi cultores qui aliqua regna et terras occupata detinebant in illis partibus, arma sumpserunt strenue ipsosque velut Dei hostes et blaffemos christiani nominis detestabantur et aborreabant, divina fulti potentia viriliter expugnarunt ac regna et terras hujusmodi de dictorum infidelium eripiendo manibus ea gloriose obtinuerunt triumphis; nec dubium creditur quin extunc sarraceni quicumque posteris predecessorum tuorum predictorum et domini<sup>46</sup> regic propterea specialiter et etiam generaliter, cum christianorum sanguine et exterminium sciant quicquid ostendant exterius, hostes existant invidi, emuli et exosi. Cum autem tu, fili dilectissime, sicut multorum fideiignorum relatio nostris auribus inculcata sepius ad nos usque perduxit, quanta tibi tuisque saluti, honori et fame immineant et imminere possint pericula ex familiaritatibus sarracenorum cum qua deberes diligentia consideranter attentis que premissimus non advertens, non nullos sarracenos etiam juvenes, agiles et effrenos, tam in mensa, dum tibi cibus ministratur et potus, quam camera et locis aliis, tecum nimis familiariiter sinas esse, ipsos admitendo ad tua obsequia et colloquia familiaria tam publice quam private, necnon, quod horrendum auribus fidelium merito redditur, non crubescis gestare quandoque vestes ritui sarracenorum similes, non sufficimus admirari, et utinam diligenter attendisses et attenderes quod talia per que salvatorem nostrum graviter offendere nosceris tecum in familiares tenendo persecutores sui nominis et blasfemos, nequaquam se gestis predecessorum tuorum predictorum conformant, attentaque meditatione si inter pectoris claustra revolveres quantum ex hiis fama regii nominis et honoris, preter pericula persone tue proprie que non parum ex dicta sarracenorum familiaritate, si considerentur circumstantie circa hec attendende, formidanda sunt, procul dubio laceraatur, nec sua dixerit Excellentia quod sarraceni predicti te in bellicis actibus et armorum exercitiis instruunt, excusaris ab inde, cum christianos fideles in eis partibus habeas circa talia ut intelleximus magis doctos; et si ab ipsis sarracenis velles in talibus instrui eos tamen propter hoc ad secreta et familiaria colloquia et obsequia sic prope te admittere non

---

46 Palabra enmendada.

deberes. Ideoque magnificantiam rogamus regiam et in domino atten-  
tius exortamur eidemque paterno sanoque consilio nihilominus suadentes  
quatcnus, premissis in examine regie considerationis adductis, quibusvis  
sarracenis a tuis obsequiis et familiaritatibus ac secretis colloquiis elon-  
gatis et electis perpetuo talibus vestibus que decori et pulcritudini chris-  
tiane religionis obviant et claritatem regie dignitatis obfuscant, catoli-  
cos viros tibi ac regnis et terris tuis fideles etatis <sup>47</sup> provecte, boni  
testimonii et consilii ac discretionis maturitate pollentes, qui te adulatio-  
nibus non decipient nec abire permittant in precipicum voluntatis sed  
potius salutem, honorem et famam tuam diligent, tam in mensa quam  
camera et locis aliis ubi agetur de hiis que persone tue fuerint necessaria  
vel negotia secreta seu alia narrabuntur, tecum habeas continue, quorum  
consiliis utilibus et salubribus, postpositis previlibus levitatibus que  
statum dedecerent regium, ad Dei honorem et tui dilationem honoris et  
nominis dirigaris. Insuper, erga Deum per quem regnas et regeris te  
humilem exhibeas et devotum, capellam habendo et tenendo secundum  
statum regium jugiter congruam, ac missas et horas canonicas cum men-  
tis devotione sincera, sicut alii reges catholici Deum timentes et dili-  
gentes faciunt, diebus singulis audiendo, ut illum quem afferentem  
spiritum principum propheta dicit apud omnes reges terre terribilem  
habere semper tibi merearis propicium, qui te custodiat et dirigat dies-  
que tuos ad suum beneplacitum et rei utilitatem publice sua benignitate  
protrahat in longevum, sicque te, fili dilectissime, in hiis et aliis virtuosis  
actibus dictorum tuorum predecessorum laudanda immitando super pre-  
dictis et aliis vistigia exerceas tuamque solides juventutem, ut cum ad  
etatem provectionem dante domino perveneris et curis amplioribus fue-  
ris implicatus, assuta potes suavius ac magis in bonis operibus delecte-  
ris. Sic itaque nichil tue deperibit magnitudini, set continue felicibus  
incrementis profficies rectiusque nomen Regis et meritum divina tibi  
assistente gratia obtinebis. Datum etc.

**CCXXVIII.—*Super dispensatione matrimonii obtainenda. [Littera missa  
cuidam cardinali.]***

Reverendo in Christo patri domino Johanni, divina providentia sancti  
Angeli diachono cardinali consanguineo nostro carissimo, infans etc.,  
omnimodam reverentiam et promptam ad ejus beneplacitam voluntatem.  
Reverendissime pater, receptis a paternitate vestra nobis intima diversi-  
modo litteris et ipsarum tenore discusso, ex contentis in ipsis, precipue  
de incolumitate persone vestre quam dominus ad sua sancta conservare  
dignetur servitia annis plenis, noster animus jocundavit, de vestri ur-  
banitate que se nostris beneplacitis prompta obtulit vestre paternitati  
actiones gratiarum largisflue offerentes, et quia scimus cor vestrum fer-

47 *Estates* en el manuscrito.

ventibus votis appetere ut de prospéro statu nostro vestre paternitati salubria refferantur, eidem paternitati tenore presentium nuntiamus quod nos, divina clementia concedente, propria corporis sospitate fruimur, quod scire de vestra persona nobis cara audire frequentius affectamus, quare paternitatem eandem intimo exoramus affectu ut de hiis, cum se facultas obtulerit, nos velit et placeat suis literis informare et nichilominus negotia nostra prout in corde gerimus habere in vestri gratia propitius commendata. Preterea, pater reverendissime, cum nos ob fervorem devotionis quam nobiles et dilecti nostri... et... apud nos et nostra servitia multipliciter habuerunt merito nos astringunt ut ad ea que augmentum ac statum tranquillitatis eorum respiciunt plenis affectibus intendamus, nobilisque... filius dicti nobilis... et nobilis dicti... filia, qui quodam modo affinitatis gradu conjuncti existunt, propter bonum pacis affectent matrimonialiter copulari, sicque matrimonium hujusmodi contrahere nequeant, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, idcirco paternitatem vestram de qua plene confidimus instantissime ex corde precamur quatenus dispensationem matrimonii supradicti tractandam et affectatam propter bonum pacis, ut pretangitur, dignetur apud dominum Summum Pontificem promovere et... janitorem serenissimi domini Regis Aragonum domini et fratri nostri carissimi vestrumque et nostrum familiarem et domesticum, cui negotium dispensationis predicte commissum extitit, feliciter dirigere in agendis, taliter quod, vestre paternitatis mediante suffragio, in brevi ad has partes redire valeat comode expeditus. Hec itaque pater reverendissime nobis summe grata avenient indeque eidem ad gratiarum actiones merito assurgemus. Datum etc.

CCXXIX.—*Super potiori beneficio obtainendo cum petitione interclusa.*

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino domino Clementi divina providentia sacrosante Romane et universalis Ecclesie Summo Pontifici, Petrus Dei gratia Rex Aragonum etc., salutem etc. Inter ceteros nobiles et barones qui regie domui Aragonensi fidelitatis debito, pater sanctissime, sunt astricti, nobiles vicecomites de Rochabertino claritate generis prepollentes a longis retro temporibus quorum memoria non existit progenitoribus nostris in terrarum acquisitionibus a manu sarracenorum ereptis et alias in actibus bellicis tanquam strenui atque magnanimi fideliter astiterunt, quorum genus electum plurimos produxit undique palmites virtutum studiis insistentes quos propter eorum merita laude digna divina clementia prelulit metropolitanis et episcopalibus sedibus aliisque insignibus dignitatibus honoravit; propter quod nos probabiliter presumentes quod dilectus noster Guillelmus Gaucerandi de Rochabertino, canonicus Gerundensis, qui de dictis nobilibus traxit originem, per recte derivationis vehiculum illorum semitas laudabiles imitabit et cum sit provectus in jure canonico et civili, nobilitate preditus

morumque decorus pinguioribus beneficiis mereatur attolli, nosque vehementer optantes ut beatitudo vestra illum ex solita sedis apostolice munificentia gratiosis favoribus prosequatur, petitionem subscriptam pro eo porrigi vestre providimus sanctitati. Eapropter eidem sedulis et devotis affectibus supplicamus quatenus, honore nostri qui hoc pro dono petimus speciali<sup>48</sup> dictique Guillelmi Gaucerandi meritorum obtentu, petitionem ipsam dignetur sanctitas vestra benigne admittere et quod in ea petimus favorabiliter exaudire; hoc namque, pater sanctissime, valde gratum habebimus et proinde vestre clementie devotas laudes et gratias refferemus. Almam personam vestram conservet Altissimus suo sancto servitio per tempora longiora. Datum etc.

*CCXXX.—Littera domini Pape ad infantem Jacobum super inienda pace inter Reges Aragonum et Maioricarum.*

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili Jacobo nato clare memorie Alfonsi Regis Aragonum comiti Urgellensi, salutem et apostolicam benedictionem. Cum carissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum germanum tuum et Jacobum Maioricarum Reges illustres eorumque domos regias et regna paterne dilectionis et caritatis affectibus prosequamur, desideriis optamus intensis ipsos quos nexus sanguinis et affinitatis jungit invicem manere inseparabiliter idemperitate animorum et voluntatum, precisis odiorum et rancorum fomitibus qui buscumque, conjunctos, nos pridem, displicenter audito quod hostis pacis et zizanie seminator inter ipsos spargere discordiarum semina satagebat, ad id extingendum et lesam inter eos concordiam refformandam venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquenensem, apostolice sedis nuncium, virum utique circunspectionis maturitate providum pacis et justicie zelatorem, ad partes illas providimus specialiter destinandum. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et in domino attentius exhortamur quatenus, varia comoda que Regum ipsorum unitas concordia reppromittit et dispendiosa pericula que ipsorum si, quod absit, vigeret dissensio comitantur consideranter attendens, circa refformandam et confovendam ipsam pacem et concordiam procures efficaciter interpolare partes tuas, memorato archiepiscopo assistendo nihilominus super hiis, auxiliis, consiliis et favoribus opportunis. Datum apud Villam novam, Avinonensis diocesis, septimo idus augusti, pontificatus nostri anno primo.

*CCXXXI.—Responsiva ad proximam [litteram domini Pape super inienda pace inter Reges Aragonum et Maioricarum, ex parte infantis Jacobi].*

Reverenter, ut decuit, recepi noviter pie pater, vestre beatitudinis

---

48 La palabra lleva un signo de abreviación inútil.

litteras inter cetera continentis quod, cum illustres dominum Petrum Aragonum germanum meum et Jacobum Maioricarum Reges eorumque domos regias atque regna paterne dilectionis et caritatis affectibus vestra clementia prosequatur, displicenter auditio quod pacis hostis zizanie scminator inter ipsos spargere discordiarum semina satagebat, beatitudo vestra, desideranter affectans ut illi quos nexus sanguinis et affinitatis nectitur invicem manerent isseparabiliter animorum et voluntatum ydemptitate conjuncti, venerabilem Armandum archiepiscopum Aquenensem apostolice sedis nuncium ad partes istas providit specialiter destinandum, quocirca sanctitas vestra me instantius ortabatur ut, consideranter attentis variis comodis que ipsorum Regum concordia reproximit<sup>49</sup> et dispendiosis periculis que ipsorum, quod absit, dissensio comminatur, circa refformandam et confovendam ipsam concordiam procurarem efficaciter interponere partes meas, memorato archiepiscopo nihilominus super hiis assistendo super hiis auxiliis, consiliis et favoribus opportunis. Quibus humiliter vestre respondeo sanctitati quod, quia dictus Rex Maioricarum circa conventiones et pacta inter progenitores utriusque Regum ipsorum et meos inita et in infeudatione regni Maioricarum, comitatuum Rossilionis et Ceritanie aliarumque terrarum que habet Rex ipse in partibus cismarinis, excepto dumtaxat loco Montispessulanii quem ab illustri Rege Francorum consanguineo nostro carissimo tenet in feudum, inserta, citatus legitime per dictum dominum Regem Aragonum co quia monetam aliam preter monetam Barchinone in ipsis comitatibus currere faciebat et cuī faciebat patenter et publice monetam novam in villa Perpiniani intra dictum comitatum Rossilionis et principatum nostrum Cathalonie consistente, nec non conflari faciebat seu fundi monetam nostram Barchinone et argenti, non comparuit personaliter termino sibi prefixo ac mitere pretermisit aliquem responsalem, dictus dominus Rex Aragonum reputavit atque decrevit dictum Regem Maioricarum exigente justitia contumacem, declarans ut judex et ordinarius suus quod contra <sup>50</sup> ipsum et bona sua tanquam contra contumacem et firmam juris sive directum facere recusantem juxta usaticos Barchinone procedere poterat ad occupationem realem feudorum ipsorum, nullo processu alio precedente, per ipsos usaticos et jura patrici quibus subest; adveniente autem dicto Rege Maioricarum sub guidatico et conductu<sup>51</sup> dicti domini Regis Aragonum ad civitatem Barchinone ad quam diu ante archiepiscopus jam dictus pervenerat, ego, qui ex nexibus hinc inde vigentibus gero molestam plurimum et exosam discordiam supradictam, votis optans ardentibus eam prorsus evellere dictisque Reges et suos ad concordie semitas revocare, cum dicto archiepiscopo et aliis probis mediatoribus ipsam concordiam diligentibus, inter illos,

49 Repromittit.

50 La palabra *contra* entre líneas, sobre otra tachada.

51 Enmendada.

varios dum <sup>52</sup> dicto Rege Maioricarum tractatus subire temptavi pro-  
posse, ut novit Altissimus, instans sepe et sepius ut dictus Rex Maiorica-  
rum se rationi submiteret et dicto domino Regi Aragonum recognosceret  
ea que vigore dictarum convencionum et virtute juramenti et homagii  
super hiis per eum ter prestiti facere tenebatur; set quia dictus Maiori-  
carum Rex, exortationes nostras et aliorum obaudiens et salubria mo-  
nita archiepiscopi prelibati contempnens, nendum firmam juris sive di-  
rectum, prout tenebatur, in posse dicti domini Regis Aragonum facere  
recusavit, set, quod inauditum fuit a tempore dicte infeudationis pri-  
meve in prioribus et antiquis et horrendum discutitur in modernis, pre-  
dicta tenere in feudum a dicto domino Rege Aragonum verbo, litteris  
et instrumento publico denegavit, super tractatibus ipsis persistens in  
terminis valde distantibus et remotis, cum ipse, pater sanctissime, locum  
noluerit <sup>53</sup> dare concordie supradicte, non potui, de quo gravem con-  
cepi ac gero in corde molestiam, ad effectum perducere quod obtavi.  
Igitur placeat et dignetur sanctitas vestra me super hoc habere rationa-  
biliter excusatum. Almam etc.

**CCXXXII.—*Domino Pappe ex parte domini Regis. [Supplicatio ut  
dignetur assumere quemdam in servientem apostolicum.]***

Exigunt, pater sanctissime, dilecti consiliarii nostri Guillelmi Richer-  
rii archidiaconi sancte Engratie in Oscensi ecclesia merita laude digna  
et impensa per ipsum et suos progenitoribus nostris accepta servitia,  
queque nobis idem impendere non desistit jugiter promerentur ut, re-  
ctum rationis examine regie cure nonnumquam <sup>54</sup> se ingerens ut bene  
meritorum obsequia recompensem, nendum pro <sup>55</sup> ipsius archidiaconi sed  
pro suorum promotione decenti ejus contemplatione apud vestram cle-  
mentiam favorabiliter intercedat. Sane, cum dilectus domicellus Odar-  
dus Richerii de Ruppe maura, nepos prefati archidiaconi de regno Ffran-  
cie oriundus, votis ardentibus appetat vestre sanctitatis obsequiis inhe-  
rere, ut vitam hujus seculi labilem cum statu honorabili et decenti va-  
leat vestris insistendo serviis pertransire, idecirco sanctitati vestre  
intimis affectibus supplicamus quatenus honore nostri et premissorum  
consideratione beatitudo vestra dignetur ipsum Odardum in servientem  
armorum apostolicum cum stipendiis debitIs et assuetis assumere et alio-  
rum numero servientium de vestre solite munificentie largitate libera-  
liter aggregare; hoc autem, pater sanctissime, valde gratum habebimus  
et speciali vobis exhibite gratie ascribemus. Almam personam etc.

MARIANO USÓN SESÉ.

(Concluirá.)

<sup>52</sup> Por *cum*.

<sup>53</sup> Enmendada.

<sup>54</sup> *Nonquequam* en el manuscrito.

<sup>55</sup> Aunque la lectura paleográfica es *per*, debe ser *pro*.